5

(1996) XXVII

Rubens mentioned

p ** r° + v°

p 217



Engravings after Rubens
p 161
p 169
p 189
p 195
p 197
p 213
p 240

Others p 35
p 45
p 75
p 163
p 257

See also
Jaffé, V. Dyck's Sketchbook 1966
(who thought Albert was still alive when this book was published)

Albert Rubens
† 1657

ALBERTI RVBENI
PETRI PAVLI F.
DE RE VESTIARIA VETERVM,
PRÆCIPVE
DE LATO CLAVO
LIBRI DVO,

Et alia eiuſdem Opuſcula poſthuma, quorum ſeriem adverſa pagina exhibet.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LXV.

SERIES DIATRIBARVM

Quæ hoc Opere continentur.

CLARISSIMO VIRO

PHILIPPO RVBENIO P. F.

S. P. Q. ANT. A SECRETIS,

IOANNES GEORGIVS GRÆVIVS

S. P. D.

EA temporum noſtrorum eſt ratio, ut, quamvis multa videant boni quotidie ac audiant, quæ eos non delectent; numquam tamen probare potuerim illorum faſtidium, qui ſemper priorum ſæculorum felicitatem iactantes, illam, in quam ſors naſcendi & neceſſitas eos demiſit ætatem, cum Aſcræo ſene perpetuis damnant querelis. Contra ea de hoc ego ſæpe mihi gratulor, & præcipuam duco felicitatem, quod nec longe ante hoc tempus nec diu poſt ſim natus. Tantæ enim & tam illuſtres hac noſtra & paulo ſuperiore memoria omnium præclararum artium factæ ſunt acceſſiones, tanta effloruit virorum doctiſſimorum ubertas, qui excellentis ingenij bonitate tamquam divino quodam afflatu concitati in omni liberalis doctrinæ genere

tanto elaborarunt ſtudio & contentione, ut, quæ antea denſis erant circumfuſa tenebris, nunc in aperto ſint, & omnium conſpectu poſita; quæque ante ignorabantur ab omnibus etiam eruditiſſimis; nunc nemini poſſint eſſe obſcura, niſi qui ſocordia & ignavia ſibi ipſe hanc laudem & felicitatem invideat. Nam, ne alia commemorem, ſiderum motus & ſtellarum numerus quando exploratius fuit cognitus quam hac tempeſtate? An unquam accuratius fuit inveſtigata, & in excelſius faſtigium evecta doctrina illa, quæ aut in mundi principijs & rerum naturalium cauſis indagandis; aut quæ in ſingulis humani corporis partibus, & abditis illis venarum ductibus explorandis, aut quæ in orbis terrarum ſitu deſcribendo verſatur? Quæ laus temporum fere magis noſtrorum eſt quam hominum: inventa enim ſunt talia inſtrumenta divinitus potius quam conſilio; & quibus tenuiſſimæ minutiſſimorum corpuſculorum particulæ penitus perſpici & accurate conſiderari; & quibus in remotiſſima loca & ipſas quaſi cæleſtium orbium ſedes acies oculorum immitti; & quibus curſus navium certiſſima quadam via & ratione poſſunt moderari. His effectum eſt, ut arcana illa & ab omni ævo incognita naturæ myſteria quam-

plu-

plurima fuerint in lucem protracta, peragrata vastissima maria, quæ olim ne adiri posse credebantur, terræ disiunctissimæ, & alio sole calentes apertæ. Quid dicam de studijs humanitatis, de antiquitatis notitia, de omnium memoriarum rebus gestis? Quam multa abstrusa, recondita, sepulta, maioribus nostris invisa & inaudita felix magnorum hominum sollertia, & incredibilis industria, qua ad omnem prisci ævi sapientiam complectendam exarserunt, eruit: quanta luce illorum libros perfudit, quibus ad omnem humanitatem informamur. Horum omnium cognitione nobis esset carendum, si priora nos tulissent sæcula. Quid autem ijs, quorum animi pulcherrimarum rerum scientia pascuntur, potest esse antiquius quam ea habere explorata, in qua docti & sapientes viri semper inquisiverunt summa cura & studio, nec tamen potuerunt pervestigare? Ego sane qui in litterarum & sapientiæ studijs unice conquiesco, nec regnum, aut quidquid est opum & dignitatum mereri velim ut illa ignorem. Et profecto in tot & tantis muneribus, quibus affecta est ætas nostra, qui non lætãtur, qui non triumphant se nunc demum vivere, cum tanta rerum præclararum copia doctorum virorum ingenio & labore nobis parta

 est,

eſt, aut invidia ſuffuſum in præſentia habent animum, aut ſtulto quorum copia eſt laborant tædio, aut bona ſua non intelligunt, & pretia rerum æſtimant annis. Nolim autem hæc ſic accipi, ac ſi exiſtimem hac ætate omnes artes exactas eſſe & veniſſe ad ſummum perfectionis, quo nihil poſſit cogitari ineptius. Quis enim non videt quanta ſit adhuc in omnibus rebus obſcuritas, quantis involucris in profundo demerſa iaceat veritas, quantum noſtræ & poſterorum relictum ſit induſtriæ? Riſum ſæpe mihi excutiunt, qui conqueruntur, omnem facultatem & ſpem ſibi eſſe præciſam a maioribus præclari aliquid elucubrandi: omnia nunc eſſe pervulgata in omnibus artibus & diſciplinis, omnia aſpera complanata, omnes nodos expeditos, nihil caliginis, nihil difficultatum ſedere vſquam, aut ſi quid reſtet, in quod noſtram operam poſſimus conferre, id eſſe unicum, ut breviore via tradantur omnia, & in compendia referantur, quæ multis ſtudijs & vigilijs a doctis fuerunt conquiſita & tradita. *O ſeri ſtudiorum!* Quo iudicio hos credimus verſari in lectione, & quem fructum eius ferre, & quota de ijs, quæ legunt intelligere, quibus

Nil eſt intra oleam, nil extra & in nuce duri.

Nullum certius argumentum eſt levis cuiuſ-

dam

dam & puerilis eruditionis, quam nuſquam hærere, de nulla re dubitare, nullas in lectione ſalebras, nullam remoram offendere. Qui hanc ſectam ſequuntur, ſuo produnt indicio, nihil ſe didiciſſe unquam niſi tritum maxime & vulgare, nihil ſe videre in ulla diſciplina & ſcriptorum genere, nec intelligere quidem quæ ſit illa interior doctrina, quam qui imbiberunt, ab omni ætate ſunt habiti eruditi. Sane quo quiſque eſt doctior, tanto plura in ſingulis pæne paginis, ne dicam verſibus, advertunt animum, detinent oculos, curſum lectionis inhibent, attentionem acuunt, & perſcrutari iubent ac eruere maioribus ignorata, & profutura poſteris. De centonum vero ſartoribus & auctoribus epitomarum quid dicam aliud, quam, *Dij terris talem avertite peſtem*! Nata eſt iſta natio corrumpendis & abolendis omnium virorum egregiorum lucubrationibus, qui, ſi quid mortui ſentiunt, execrantur iſtos homines, qui tam fœde mutilant & lacerant ſuos labores. Tantum vero abeſt, ut omnia ſint excuſſa, & ſupremam manum receperint, ut nulla ſit diſciplina, & ne pars quidem ullius diſciplinæ, nullumque ſcriptum extet antiquum, in quo non viro acris ingenij, & indefeſſi ſtudij, plurimæque doctrinæ, multa magnaque ſuperſint

ſint obſervanda, quæ alij, qui eidem curæ invigilarunt, ſunt prætervecti. Non deeſt fabro materia, ſed materiæ faber. Quamvis vero ſint infinita, in quibus expoliendis cum magna laude & fructu verſari poſſit hominum non ineptorum induſtria, nullus tamen miror perpaucos eſſe, quibus amplificatio & proceſſus ſtudiorum doctrinæ & ſapientiæ ſint curæ, longe vero plurimos, quos iuvet prædas agere, & compilare alienæ induſtriæ fructus Opes invenire bonis artibus negotium eſt arduum, plenum ſudoris, ſollicitudinis, vigiliarum; partis vero alieno labore frui nihil habet moleſtiæ, ſed & nihil gloriæ. Hos labores, has ſeveras leges, quibus tenentur qui adſpirant ad laudem & immortale nomen, hanc aſſiduam meditationem, qua enitendum eſt quidquid noſtrum eſſe, & poſteris debet probari, detrectant plerique omnes, & malunt alienos fœtus adoptare quam ipſi parturire. Malum iſtud gliſcit indies, & magis magiſque conſeneſcit ille ardor augendi ſplendorem & amplitudinem rei litterariæ. Videmus viam iſtam facilem, proclivem, violis ac roſis quaſi conſtratam ſectari omnes; ab illa aſpera & multis difficultatibus obſepta, quæ ſola tamen ad virtutis & doctrinæ templum ducit, neminem non abhorrere.

Hæc

Hæc vero ratio non poteſt non coniuncta eſſe cum clade & interitu omnium liberalium artium & eruditionis. Equidem magnus fœdæ illius barbariei, quæ late ante hos ducentos annos inquinaverat omnia, timor impendet. Nullius ſcientiæ, & nullius veræ laudis ac gloriæ poſſeſſio ac cuſtodia poteſt eſſe diuturna, ubi obſoleſcit diligentia, ſocordia vero & veternus omnia tenet. Illos autem, qui lumine litterarum extincto lucis uſura fruentur, miſerrimos omnium & infeliciſſimos iudico, qui vere conqueri poterunt ſe, ſi qui umquam, dijs omnibus iratis eſſe natos. Quæ enim vita ſine litteris vitalis eſſe poteſt? Mors ea eſt, non vita & ſepultura vivorum hominum. Nobis vero nonne iuſtæ magnæque cauſæ ſunt exultandi & quod iſta ætate nobis intereſſe rebus humanis contigit, qua omnes bonæ artes caput extulerunt altius quam prioribus ſæculis, & quod illam procellam & cæcam noctem, quæ imminere litterariæ Reipublicæ, triſteque illud fatum quod manere videtur poſteros effugerimus. Sed funeſtum hunc exitum Deus avertat, & faxit ut hoc metu, ſi quæ impendet acerbitas, liceat defungi. Ad noſtri ſæculi felicitatem tuendam iuxta & augendam faciunt ſane & hi libelli, docti hercule & perpoliti, Alberti

Rubenij, patruelis tui, viri virtute, doctrina, ingenij elegantia & morum ſuavitate & ſanctitate in primis numerandi. Quid enim illi docent quod non ſit exquiſitum, quod non latuerit adhuc omnibus, qui a renatis litteris in hoc ſtudiorum genere illuſtrando deſudarunt? Et quid ab eo, quem veſtra doctrinæ & ingenij laude florentiſſima familia edidit, poterat aliud expectari? Nihil dicam de parente tuo Philippo Rubenio, unico alumno diſciplinæ Iuſti Lipſij, viri immortalis. Eius prudentia, probitas, cultiſſimum ingenium, ſingularis eruditio, eleganter ſcribendi in utroque orationis genere facultas non modo Belgium, ſed Italiam ipſam in ſe convertebant, & principum virorum ſtudia & benevolentiam alliciebant, ut cupide multi eum complecterentur, & eius expeterent operam. Alienus ſit ab omnibus Muſis & Gratijs, qui ignoret patrui tui Petri Pauli Rubenij manum illam, & artem politiſſimam, quæ palmam Apellibus & Zeuxidibus fecit ambiguam, & hinc eximijs honoribus & iudicijs maximorum Regum fuit ornata, cum qua coniunxerat inſignem quamdam omnis antiquitatis & politioris litteraturæ notitiam, qua impleverat pectus. Huius laudis hereditatem, quæ omnium beatorum patrimonia ſuperat,

cre-

creviteius filius Albertus, & ſe dignum hoc patruo, & hoc parente præbuit, primumque habuit quidquid ei vacui temporis eſſet a curis & negotijs Reipublicæ, quibus perpetuo diſtinebatur, collocare in ijs artibus, quibus immortalem gloriam, & ſui maiores, & quicumque veræ laudis fuerunt cupidi, ſunt conſecuti. Vtinam vero ipſe perficere potuiſſet & publicare quæ nunc ex varijs eius & diſperſis ſchedis, quod tu omnium minime ignoras, mihi fuerunt colligenda. Pulchriora certe & abſolutiora nunc apparerent & hæc, & plura alia quæ inchoata reliquit; quamvis iſta quæ damus, etiam, ut nunc ſunt, digna ſint quæ collocentur in arcem, & eruditorum hominum gratulationibus & applauſu, de quo nullus dubito, excipiantur. Ea vero tuæ, Vir Clariſſime, debentur pietati. Abſque te fuiſſet, blattis & tineis ceſſiſſent pabulum. Sed tu dum tam illuſtrem gentis tuæ imaginem ad poſteritatis memoriam voluiſti prodi, tuam prodidiſti. Ipſe tibi erexiſti monumentum omnibus Mauſoleis perennius, quod in pretio erit, quamdiu litteræ erunt, quarum cultores æternum tibi devinxiſti, quod ijs hos aureolos tui patruelis libellos noluiſti debere. Vale Vir Clariſſime. Traiecti ad Rhenum Kal. Dec. CIↃ. IↃC. LXIV.

NICOLAI HEINSII
ELEGIA
IN OBITVM
A. V. ALBERTI RVBENII,
PHILIPPO IV. HISPANIARVM REGI
IN SANCTIORE CONSILIO A SECRETIS,
AD EXIMIVM
ET CELEBERRIMVM VIRVM
CASPERIVM GEVARTIVM,
CÆSAREVM REGIVMQVE CONSILIARIVM,
ET HISTORIOGRAPHVM,
ARCHIGRAMMATEVM ANTVERPIANVM.

Tigris Achæmenio non me lactavit in antro,
Caspia Caucaseæ non dedit ursa nivi;
Pasta nec evomuit ratibus Zanclæa Charybdis,
Aut Scylla in rabidos inguine versa canes;
Mitibus ut lacrymis, GEVARTI, *in funere charo*
Parcere sustineam, nec mihi flere vacet.
Tolle (quid huc faciant?) solamina: tolle, precamur.
Vulneribus non hæc apta medela meis.
Crudus & in cursu pleno dolor hactenus ullam
Fomenti impatiens ferre recusat opem.
Parce manu medica tractare, coiverit ulcus,
Plaga cicatricem ducat acerba, sine.
Vtile nunc stimulos, nunc calcar subdere flenti:
Sic mala consuescam lenius alta pati.

Vt

Vt me mœstitiæ domet impetus, utque fatiget,
Et capere incipiat seque tuamque manum.
Causa pijs utinam lacrymis minus æqua daretur!
Me miserum! cur tam iusta querela mihi est?
Fertur in exequias RVBENIVS : *ille vetusti*
Optimus interpres temporis, ille sui.
Qui latebras morum, Labyrintheosque recessus
Norat, & abstrusi terra quod omnis habet:
Vivida Candoris fucum metuentis imago,
Quamque sibi Theseus gaudeat esse fidem.
Congeries Venerum, Latij penetrale leporis,
Illita Mopsopij nectare lingua favi.
Quem pater artifici cura limarat ad unguem,
Laudis in id summam contuleratque suæ.
GEVARTI, *pater ille, nihil cui maxima rerum*
Roma quod opponat, par nihil Hellas, habet.
Cedat, Alexandro vel iudice, Cous Apelles,
Qui tabulis animas addidit ante suis.
Has Cypris modo nata manus se tangere mallet,
Dum sale rorantes exprimit uda comas.
Addita doctrina est, & vasta scientia rerum:
Qua pater heredem vidit in arte suum.
Vidit, &, æquari non invidus, impulit ultro,
(Dum dubiam se dat palma) profusus amor.
Ardua iamque ducem post terga reliquerat heres
Impiger, & Lycio gloria certa Deo.
Stamine nil quæstus Lachesin properare secando,
Inque sua genitor prole superstes, obit.
Felicem bis terque senem! ni clade nefanda
Tangeret immeritam Parca cruenta domum.
Vnicus, & patrias & avitas indole laudes
Iam complexe Nepos, tolleris ante diem.

Primævum teque addis avo nil tale voventi,
Vmbra per Elysium sanguinolenta nemus.
Quem canis irato furibundi dente necatum
Lustravit Stygio nauta ter amne senex:
Ingemuitque videns; deploravitque peremptum,
Perque reluctantes non vehere optat aquas.
Heu miserande puer! tabo sanieque fluentem
Fovit adulanti Cerberus ipse iuba.
Tum placide adlambens se gutture lingua trifauci
Exerit, ah quanto mitior illa tibi!
Vrna recusavit tibi ducere Gnosia sortem:
Eumenis invitas immaduitque genas.
Ah pater orbari (si iam pater ille vocandus)
Haut tulit, ac votis se superesse suis:
Vulneraque effudit largos per hiantia fletus,
Arcuit invisum teque cadente diem,
Invidiaque deos oneravit, inania questus;
Gaudia, iamque miser, plangere sola vocat.
Hic labor, hoc studium est; huc tota negotia spectant:
Et curas, curis ut moderetur, alit.
Iam Senecam tractare piget: nihil excipit ultra
Livius, assuetam pagina trita manum.
Cum fastidito removetur Apolline Pindus:
Cuncta ferunt lacrymæ tempora: somnus abest.
Lenta virum tabes depascitur: urit edendo
Mæror, & attenuans viscera febris habet.
Mox colus incisa est, nimiis ne fata querelis
Noxia funestet seque, piosque lares.
Vita tibi, brevis illa licet, vir amice, negatur:
Stamina sed meritis sunt diuturna tuis.
Non ita Barbaries miseros caligine Belgas,
Vt tibi sit merces laudis adempta, premit.

Pasce-

Pascere, & exulta, Styx, cladibus, invida, tantis:
Nil agis, ah luctu non satianda meo!
Laus fugit obscœnæ tactum Rubenia Lethes:
Faucibus excutitur præda cupita tuis.
Ingenijs si durat honos, Clariamque cohortem
Si stata de domito tempore palma manet,
Ibimus in famam: nec sæcula sera negarint
Meque, Alberte, tuum, teque fuisse meum.
Eia age GEVARTI, *Phœbo stimulante, fleamus,*
Quod ferat ætatem, tersa quod auris amet.
Vos pia fraterno vinxit concordia nexu:
Patria vos, studium vos sociarat idem.
Pirithoum Ægides, Pylades ne iactet Oresten;
Par amor, & pietas maior utrique fuit.
Quid meditor dare verba mihi? dolor avocat ægrum,
Interpellanti surdus, amice, lyræ.
Mœnia Mæoniden flerunt septena, nec altum
Profuit Argolici Troia laboris opus:
Nata nec Alcinoi, nec Vlyssi iuncta Calypso,
Claráve Telemachi Telegonique parens.
Turbat aquam lacrymis mærens Aganippida Clio;
Marcuit arentem Pegasis umbra comam,
Solaque dat gemitum responsa petentibus augur
Delius; hæc adytis vox sonat una suis.
Heu! ubi nunc tibi, Phœbe, lyra est? ubi præscia laurus?
Nunc ubi non tonsæ, dic, nitor ille comæ?
Gaudia Pimplæo RVBENIVS *omnia ruri*
Abstulit: Aonijs lux erat ille choris.
In cinerem (modo quantus!) abis. vix ossa supersunt:
Et cutis, & sordem præter, amice, nihil.
Quem licet ostentent de corpore fata triumphum,
Pars melior Stygiæ nescia sortis aget.

IOAN-

IOANNES CHIFLETIVS,

Canonicus Tornacenſis, in Diſſertatione de Fonte Romano, AQVA VIRGO, *quæ expreſſa in Gemmâ priſcâ.*

AChates eſt Annularis e Cimeliarchio V.C. ALBERTI RVBENII, quem Bruxellæ abhinc quadriennium Reipublicæ litterariæ, in ipſo iuventutis flore, mors invidit. Dicere vix poſſum, quantopere ſummum illum virum ſuſpexerim dilexerimque. Regi in Conſilio ſanctiori a Secretis fuit, quia nihil altius voluit: Sereniſſimo Archiduci LEOPOLDO, Belgarum & Burgundionum Gubernatori, gratus acceptuſque, honeſtam quietem, atque Exedram Philoſophicam Senatorijs ſubſellijs conſtantiſſime prætulit, vel unico de GEMMA AVGVSTÆA & TIBERIANA, quæ in ſacro Regis Chriſtianiſſimi gazophylacio aſſervatur, Commentario futurus immortalis. Neque enim hunc laborem τοῦ μακαρείτου, fidei ſuæ commiſſum nobis eripi patietur Clariſſimus GEVARTIVS, Cæſareus Regiuſque Conſiliarius & Hiſtoriographus, Archigrammateus Antuerpianus, ad civium ſuorum, Litterarumque gloriam natus.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. *Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis præter Balthaſaris Moreti, Ioannis iunioris fil. voluntatem,* Alberti RubenI de Re Veſtiaria Veterum libros duos,& alia eiuſdem Opuſcula poſthuma, *ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſa, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui secùs faxit, confiſcatione librorum, & alia gravi pœna multabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellæ die* IX. *Septemb.* M.DC.LXIV.

Signat.

Loyens.

APPROBATIO CENSORIS.

QVam feliciter in rerum antiquarum ſtudio celebrem ſuum Parentem imitatus fuerit Cl. vir Albertus Rubenius, comprobant hæc eius ſcripta *De Re Veſtiaria, De Gemmis Tiberiana & Auguſtæa, &c.* quibus ut ea ad ſtudioſos rerum antiquarum Lectores per typos emittantur, do approbationem, & ſedulus Lector tam felicibus lucubrationibus meritam dabit laudem. Datum Antuerpiæ XI. Decemb. M.DC.LXV.

Ioannes de Capua
Canon. Cath. Eccl. & lib. Cenſor.

*** ELEN-

ELENCHVS CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

CAP.

albi. Equitum filij in ſpem Senatoriæ dignitatis ſæpe latum clavum adipiſcebantur. Ad hoc requirebantur opes, origo, indulgentia Principis. Statio lux. Cenſus Senatorius ijs opus. Non conferebatur ea dignitas niſi ijs, qui ex antiqua Equeſtri familia. Caligula contra morem novis Equitibus latum clavum conceſſit. Dio refellitur. Equites dicebantur ſplendidi. Senatorum filij poſt Auguſtum non opus habebant ad latum clavum ſumendum indulgentia Principis, ſed tantum Equitum filij: Equites nonnulli anguſto clavo contenti vivebant. Nonnulli latum clavum, quem ſumpſerant in ſpem Senatoriæ dignitatis, deponebant, & anguſticlaviam tunicam reſumebant. Laticlavij. Laticlavia dignitas gradus ad Senatorium Ordinem. Iuvenis ſecundi Ordinis. Laticlavij, qui Senatu moti inſignia Senatoria retinent. 81

CAP. XV. *Equites per tribunatum militum Senatores fiebant. Tribuni alij maiores, alij minores. Equitibus olim quina ſtipendia, poſt trina ſtipendia neceſſaria erant ut ad Tribunatum pervenirent. Senatorum filij ad hanc dignitatem nullis ſtipendijs opus habebant poſt Auguſtum. Tribuni Ruſuli, Comitiati. Plebei Tribuni meritis & laboribus conſequebantur Tribunatum ſub Imperatoribus: Equeſtres voluntate Principis fiebant. Origo per Tribunatum ad Senatoriam dignitatem adſpirandi. Laticlavij Tribuni, qui ex Equeſtri aut Senatorio Ordine, Anguſticlavij, qui ex plebe, contra Lipſium. Equites qui ad Senatorium Ordinem adſpirabant per militiam latum clavum ante geſtos honores impetrabant. Cum ad tribunatum veniſſent, eum accipiebant, ſi ante nondum obtinuiſſent. Senatu moti per Tribunatum recuperabant Senatoriam dignitatem. Horatius exponitur contra Torrentium. Laticlaviales, Anguſticlavij tribuni, plebeij, qui per merita & labores ad tribunatum perveniebant. Anguſticlavij annulos portarunt. Sub Imperatoribus non per merita & labores, ſed ex favore potentum tribunatus obſcuris dabantur. Tribunatus dignitas Equeſtris. Qui fuerunt Tribuni ſemper poſtea inter Equites cenſebantur contra Salmaſium. Semeſtris militia. Iuvenalis emendatur. Poëta Paridis non eſt Statius, ut Salmaſius tradit. Statius Eques. Coniectura de Poëta Paridis. Anguſticlavij ſæpe poſt tres tribunatus laticlavij fiebant.* 89

CAP. XVI. *Feminæ Aſiaticæ latum clavum portaſſe videntur. Romanis non fuit in uſu. Matronæ illuſtriores ab alijs dignoſcebantur ſtola. Eam aliquando libertinæ portarunt. Differentia inter ſtolas plebeiarum feminarum & illuſtriorum. Error Abrami Equeſtris generis feminæ aureis pedum vinculis a plebeis diſtinctæ. Erant ea anſæ ſive obſtrigilla ſolearum. Male confunduntur cum periſcelijs. Plebeiæ feminæ argenteis*

pedum

LIBER

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Tiliæ

FINIS.

ALBER-

ALBERTI RUBENI
DE
RE VESTIARIA,
PRÆCIPUE
DE LATO CLAVO
LIBRI DUO.

ALBERTI RVBENI
DE
RE VESTIARIA,
PRÆCIPVE
DE LATO CLAVO,
LIBER PRIMVS.
CAPVT I.

Variæ virorum doctorum ſententiæ de lato clavo ad quinque capita relatæ. Egnatij, Sigonij, Accurſij, Lazij, Pancirolli, Cuiacij, Budæi, Salmaſij, Ferrarij, Ioſ. Scaligeri opiniones reiectæ. Clavi non fuerunt flores, non fibulæ, nec globi, nec prætextæ, nec bullæ è purpura, & clavorum capita. Veſtes floridæ. Fibulæ in tunicis mulierum. Clavi tunicis inſerti. Prætexta toga. Tunicæ prætextæ Barbarorum veſtitus. Tunicæ prætextæ viriles limbis purpureis & aureis ſub Gallieno. Prætextæ magiſtratuum & puerorum. Περιπόρφυρα. μεσοπόρφυρα. *Vnus aut duo tantum clavi in veſte Romana. Plagulæ. Patagium. Nonius exploſus. Petronius & Varro explicati.*

NEMO qui vel ſummis labris attigit rem antiquariam Hiſtoriaſque Romanas, ignorat latum clavum inſigne fuiſſe Senatoriæ dignitatis, Curiamque ab Equite diſtinxiſſe. Sed quid fuerint clavi nondum ſatis liquet, quamvis nulla res æque diverſis doctorum virorum opinionibus iactata ſit. Omnium tamen opiniones ad quinque capita reduci poſ-

ſunt. Quidam etenim affirmant clavos fuiſſe flores intextos veſti; alij fibulas eſſe, aut globulos, quibus tunicæ connectebantur.

Tertia opinio eorum eſt, qui aiunt latum clavum fuiſſe tunicam purpura prætextam.

Quarta aſſerit fuiſſe plagulam, quæ ab humeris in pectus dimittebatur, vt erat ἐπωμὶς Græcorum. Sed maior eruditorum pars in eam conceſſit ſententiã, vt credant clavos fuiſſe capita clavorum ex purpura vel auro intexta tunicæ.

Sed omnes hæ opiniones quoniam mihi non videntur cum ijs, quæ apud veteres de clauis veſtium obſervavi, convenire, primum ſigillatim eas, quantum in me eſt, refellam; deinde meam hac de re ſententiam proferam, quam ſubmitto eruditorum examini.

Ioannes [a] Baptiſta Egnatius Auroclavatas veſtes exponit *quæ clavos aureos habent, nos flores appellamus.* Ita [b] Sigonius quoque: *Clavata tunica fuit, quæ clavos purpureos intextos habuit, aut latos, aut anguſtos: fuerunt autem clavi quaſi flores panno intexti.* Sed hæc opinio merito refellitur a [c] Bayſio, & [d] Iſaaco Caſaubono: nec enim florida veſtis Romanis uſitata, niſi delicatioribus, ut & fœminis, ut bene notat [e] Colvius. Servi etiam floridam veſtem portabant: Aſterius Homilia vltima: Ἔγνων ἐγὼ γυναῖκα, καὶ τὴν κόμην κείρασαν καὶ ἀνδρικὴν περιθεμένην ἐσθῆτα, καὶ ταύτην ἀνθεινὴν, ἵνα ἀνδρὸς φεύγοντος καὶ κρυπτομένου μὴ χωρισθῇ. Δοῦλος δὲ εἶναι δοκοῦσα, ἀληθῶς δουλεύει τῷ πάθῳ. *Novimus ipſi mulierem, quæ attonſa coma veſtem virilem, eamque floridam induit, ut ne virum fugientem latentemque deſerere cogeretur. Ita cum ſervitutem ſervire videatur, affectui vere ſervit.* Clavis autem omnes plerique utebantur, qui Senatores ab Equitibus diſcernebant. Deinde unus aut alter

a *Ad Aurelianum Vopiſci.*
b *Lib. 3. de Iudicijs cap. 19. & Io. Sarius Samoſcius l. 1. de Senatu Romano.*
c *Cap 7. de Re veſtiaria.*
d *Ad Ælij Lampridij Alexandrum.*
e *Ad lib. 2 Metam. Apuleij.*

alter clavus in veſtibus erat, cum florida veſtis tota floribus ſparſa eſſet.

Quidam clavos interpretantur fibulas, aut globulos aureos & purpureos, qui [a] vel ad pectus aſſuebantur, [b] vel latera tunicæ connectebant. His accedere videtur Bayſius cap.7. de Re veſtiaria, qui tamen cap.12. fatetur ingenue ſibi non liquere. Hieronymus quoque Boſſius Ticinenſis, ſingulari libro de lato clavo Senatorum edito, non multum ab his abit, & latos clavos fuiſſe fibulas purpura & auro mixtas affirmat, & ad pectus adſui ſolitas. Sed hæc magnorum virorum opinatio non eſt pluribus verbis refutanda; etenim nomine impellente per ſe corruit, cum in ſtatuis togatis & conſularibus, quæ ex ære & marmore ſuperſunt, nuſquam hæ fibulæ aut globuli appareant, quibus muliebres ſolum tunicæ quandoque connecti ſolitæ. Præterea conſtat, clavos veſti ut plurimum intextos fuiſſe. quis ſani ingenij negabit hoc non poſſe convenire fibulis? Deinde non ſolùm tunicæ & chlamydes clavis diſtinguebantur; ſed & mappæ & mantelia; quæ globulis aureis aut purpureis connexa fuiſſe quis credat?

a *Accurſ. ad leg. §.5.D. de auro & argento legato. Lazius l.2.c.3.& lib.8.c.4. comment. Reip.Rom.*

b *Pancirollus l.1.rerum memorabiliũ. P. Gregor. parte 3. Syntagmatis Iuris univerſi l.47.c.23. num.17.*

Doctiſſimus Iuriſconſultorum Iacobus Cuiacius l.12. Obſeruat. cap.39. novam de lato clavo ſententiam proponens: *Non fuit autem*, inquit, *clavus, ſiue latus, ſiue anguſtus, quod exiſtimant fuiſſe vulgo. Invenio enim clavos eſſe potius partem veſtimenti, quam veſtimentum: & ſicut inſtitas, ut diximus cap.24. ita clavos alios conſui veſtimento, alios non conſui, & indiſtincte veſtimento legato contineri quaſi partem, l. 19. §. Plane. leg. 23. §. 1. de auro & argento legato. Sane quibus honoris cauſa vtebantur Senatores, vel Tribuni, vel Equites, non erant conſuti veſti, ſed ſupra eam*

demiſſi in pectus uſque, alij arctius, alij latius, ut recte Horatius dixerit: Latum demiſit pectore clavum. Et integer Acro in illum locum: Prætextam & latum clavum, prunæque batillum: Latum clavum, inquit, purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum, Græci τὸν κολοβίωνα vocant. Et hanc interpretationem confirmant aperte Petronij Arbitri verba: Pallio coccino adraſum incluſerat caput, circaque oneratas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam, fimbrijs hinc atque illinc pendentibus. Atque hæc Cuiacius; qui etiam addit noſtros quoſdam Monachos lato clavo vti, ſed viliore; id veſtimenti genus deſignans, quod nunc Scapulare vocant. Secundas illi agit Iacobus Cruquius Comment. in Horatij Sat. 5. lib. 1. & Ioannes Wouwerius ad Petron. Sed hæc maximi viri ſententia valde debili tibicine fulta eſt: nec enim ideo minus latus clavus in pectus dimittitur, aut purpura in pectore extenditur Senatorum, quamvis intexta aut adſuta ſit.

Nec ex allatis Horatij verbis aſſequor, qūa ratione colligat clavum Senatorium tunicæ haudquaquam adſutum vel intextum fuiſſe. De Acrone poſtea videbimus. Petronij certe locus nihil ad rem pertinet; nec enim ibi deſcribitur Trimalcio in laticlavia tunica, ſed in veſte cœnatoria, cum ſudario clavato circa collum. Etenim & mappas purpura clavabant, ut apud Martialem: *Et lato variata mappa clavo.* Romanos autem in triclinijs mappas & ſudaria circa collum immittere ſolitos, conſtat ex Suetonio, qui de Nerone* narrat, eum plerumque ſyntheſinam indutum, ligato circa collum ſudario, prodijſſe in publicum; quod & Dio de eodem refert.

**Cap. 51.*

Nec colobium etiam eſſe Scapulare Monachorum, quo hodie utuntur, ſatis patebit ex ijs quæ infra de colobijs

bijs dicemus, ubi locum illum Acronis, quem adfert, latius explicabimus.

Deinde refragantur Cuiacio omnes ſcriptores veteres, qui clavos tunicæ inſertos fuiſſe clare oſtendunt; ut ex ijs quæ infra dicemus ſatis innoteſcet. Immo & omnia marmora antiqua & numiſmata, quæ cum ſæpe viros Conſulares referant, qui ſine dubio latum clavum portabant, tamen nunquam habent Scapularia illa, quæ Monachi noſtri portare ſolent.

Maiori fundamento nititur [a] Budæus, qui arbitratur latum clavum *Tunicam fuiſse purpura prætextam, latiorem tunica vulgari, longioremque ac diſcinctam, cui toga ſuperinduebatur.* Et ſecutores habuit [b] Coraſium, [c] Tiraquellum; quamvis ad lib. 5. cap. 18. clavos tradat eſſe ornamenta quædam purpurea clavorum ſpeciem præbentia, tunicis attexta ſeu adſuta.

Carolus Neapolis etiam, ſplendidiſſimus juvenis immaturo fato ereptus, in noviſſimis ad Faſtos Ovidianos Commentarijs lib. 2. clavum interpretatur *Faſciam, qua veſtes in extremis oris ornabantur.* Veteres quoque Grammatici nonnulli huic interpretationi favere videntur, qui clavos cum purpura prætexta vel limbis veſtium confundunt. Ita Feſtus: *Ricinium omne veſtimentum quadratum ij, qui duodecim interpretati ſunt, eſse dixerunt. Verrius togam qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo.* Iſidorus in Gloſſis: *Limbus navis piratica, vel clavus in veſte regia, ſive ipſa veſtis.* Sed ad hanc opinionem refutandam haud multis verbis opus eſt.

Prætexta toga, quam Græci περιπόρφυρον vocant, dicebatur ea, cuius ora & circuitus purpura prætextus erat, ut bene Bayſius obſervat. His utebantur Magiſtratus, Sacerdo-

a *Ad leg. ult. D. de Senatoribus.*
b *Ad leg.* 2. §. Deinde quia difficile. *num.* 42. *D. de Orig. Iuris.*
c *Commēt. ad Alexand. ab Alexand. Genial. l.* 4. *cap.* 11.

cerdotes, & nobiles pueri. At apud Romanos florenti Imperio tunicam virilem unquam prætextam fuiſſe non legi, ſaltem ante Gallienum; quamvis apud Barbaros id in uſu fuerit, ut Ortyges ille Erythræorum Tyrannus, de quo Hippias lib. 2. Hiſtoriarum apud Athænæum lib. 6. quem muliebri cultu uſum idem notat. Sic & Hiſpani linteas tunicas purpura prætextas portabant, ut Polybius & Livius annotant. Et Longobardis erant veſtimenta laxa, & maxime linea, ornata inſtitis latioribus, vario colore contextis, teſte Paulo Diacono lib. 4. cap. 23. Et Carolus Magnus utebatur tunica, quæ limbo ſerico ambiebatur, ut Eginhardus narrat. Corippus lib. 2. de veſte Iuſtini Imperatoris:

Subſtrictoque ſinu veſtis divina pependit
Poplite fuſa tenus, pretioſo candida limbo.

Sed & apud Romanos creſcente luxu, & decreſcente Imperio, id eſt ſub Gallieno aut circiter, etiam tunicæ viriles his limbis purpureis aut aureis ornari cœperunt; hinc tunicæ paragaudæ, monolores, dilores, trilores, pentelores memorantur a Fl. Vopiſco in Aureliano; ſed de his accurate tractant Iſaacus Caſaubonus, & Claudius Salmaſius in Notis ad Vopiſcum. Hunc tamen miror ſcripſiſſe, *Poſtea luxu creſcente, virilibus quoque veſtimentis aurata ſegmenta adtexi cœpere; nam antea purpura tantum prætexebantur viriles tunicæ, ut erant prætextæ Magiſtratuum & nobilium puerorum.* Sed prætextas puerorum & Magiſtratuum fuiſſe togas, non tunicas, notum omnibus, niſi qui nondum ære lavantur.

Ex his ſatis conſtat errare eos, qui latum clavum exponunt prætextam purpura tunicam, cum Romani nunquam talibus tunicis uſi fuerint, ſolum uſu earum femi-

nis

nis concesso. Deinde inter prætextas & clavatas vestes omnes Romani scriptores passim distinguunt, ut etiam Græci inter τὰ περιπόρφυρα, id est, prætextas purpura, & μεσοπόρφυρα, id est clavatas purpura, ut Hieronymus interpretatur lib. 2. Comment. in Isaiam. de quibus inferius.

Ad hæc si clavus erat limbus purpureus imæ tunicæ adtextus, non video qua ratione Horatius clavum in pectore collocet:

——*Et latum demisit pectore clavum.*

& Acro, qui scribit latum clavum fuisse purpuram, quæ in pectore extenditur Senatorum. Non video etiam, quomodo Quintilianus præcipiat Angusticlaviæ, ut purpuræ suæ, id est clavi, recte descendant. Vt & D. Eucherius, qui lib. 2. ad Salonium: *Pœnula est quasi lacerna descendentibus clavis.* Qua de re postea latius agemus. Post tot eruditorum hac de re opinationes nunc omnium fere litteratorum Senatusconsulto sancitum est, *Clavos fuisse velut bullas e purpura, & capita clavorum intexta tunicis.* Ita Lipsius l. 4. de Magnitudine Romana cap. 2. post Valtrinum lib. 3 cap. 13. de Re Militari. Torrentius ad Horatij Satyr. 6. lib. 1. Claudius Salmasius ad Vopiscum, & novissime [a] Octavius Ferrarius egregio illo opere, quo ita omnem de priscis vestibus materiam exhausit, ut qui promissos a Casaubono & Salmasio de Re vestiaria commentarios vix desideremus. Sed nec inter ipsos huius sententiæ assertores satis convenit. Aliqui enim [b] hosce clavos extremam tunicæ partem inoculasse, [c] vel tota tunica dispersos fuisse contendunt; alij ad pectus tunicæ eos adsuunt. Sic etiam quidam hæc frusta vel fragmenta purpuræ, quæ clavorum capita imitabantur, rotunda fuisse affirmant, [d] alij quadrata. [e] Sed

a Lib. 3. cap. 12.
b Nicolaus Abramus in Orat. Ciceronis adversus Pisonem §. 23. n. 2.
c Idem in Cælianam §. 77 n. 2.
d Ferrarius l. d.
e Salmasius in Vopiscũ.

 non

non video tamen, si quadrata vel rotunda fuerint, qua ratione latitudo eorum Curiam ab Equite distinxerit. Quadrata enim magnitudine excrescere possunt, non latitudine, & nulla rotunditas (ut [a] Hieronymi verbis utar) latitudinem & longitudinem habet. Adhæc si clavi erant rotunda aut quadrata purpuræ frusta, quæ ob similitudinem a capitibus clavorum ferreorum nomen acceperunt; pluribus quidem eiusmodi clavis tunicam Senatoriam distinctam fuisse oportet; una enim aut duæ bullæ haud grande lumen afferre poterant tunicæ Senatoriæ: & plures sane clavos in una tunica concedit Salmasius, & Ferrarius, qui Varronis auctoritate hoc confirmare nititur. Atqui unum modo aut duos ad summum clavos in veste Romana admittit Horatius:

Purpureus late qui splendeat unus & alter
Adsuitur pannus.

Et Quintilianus lib. 8. cap. 5. *Porro ut lumen affert clavus purpuræ loco insertus; ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis.* Præterea Ammianus Marcellinus plane hanc sententiam destruit. sic enim lib. 16. *Veterator quidam ad lautum convivium rogatus & mundum, qualia sunt in ijs regionibus plurima, cum vidisset linteorum toralium par, duos clavos ita latißimos, ut sibi vicißim arte ministrantium cohærerent, mensamque operimentis paribus tectam, intrinsecus structuram omnem, ut amictus adornaverat principales, quæ res patrimonium dives evertit.* Quomodo hæc purpuræ fragmenta clavorum capitibus similia in linteis toralibus ita sibi inuicem arte ministrantium cohærere possint, ut amictum Imperialem, qui purpureus erat, referant, non perspicio. Inter has duas tamen Cuiacij & Salmasij, ac qui illos sequuntur

[a] *In Epist. ad Ephes. cap. 3.*

tur opiniones, mediam sectatur Iosephus Scaliger in appendice Coniectan. ad lib. 8. Varronis, ubi scribit: *Clavus erat plagula, quæ ab humeris in pectus dimittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum. Clavis quibusdam consita erat, in Senatoribus quidem, latioribus; in Equitibus, angustioribus. Propterea tota plagula ipsa vocabatur clavus.* Nonius: *Patagium*, inquit, *aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet; nam patagium erat honestis matronis, quod clavus viris, & ipsum ἔτυμον declarat. Nam patagium dictum, quod quibusdam quasi maculis & nævis inspersum erat; πάταγος enim, nisi fallor, est morbus pestilens, quo correpti qui moriuntur, nullum indicium morbi relinquunt aliud, quam nævulos in parte corporis.* Sed hæc Scaligeri sententia satis convelli potest partim ijs quæ contra Cuiacium, partim quæ contra Lipsium & Salmasium diximus. Deinde nec ipse Varronis locus, ex quo elicit clavum plagulam esse, quæ clavis consita ab humeris in pectus dimittebatur, ipsi opitulatur. Ille etenim ita scribit lib. 8. *Nam si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis: utraque pars in suo genere caret analogia.* Hoc sensu, ut mihi videtur, cum tunica constet ex duobus pannis, siue ex δυοῖν περιτμημάτων,[a] id est duabus plagulis, vt Varro hic appellat, quæ consuuntur ad latera: si pars anterior tunicæ sit angustis clavis ornata, pars vero posterior latis clavis, utraque in genere suo caret analogia. Tertullianus huc alludit libro de Oratione, in principio: *Dei Spiritus, & Dei sermo, & Dei ratio, sermo rationis, & ratio sermonis, & Spiritus utriusque* IESVS CHRISTVS *Dominus noster novis discipulis novi Testamenti novam orationis formam determinavit. Oportebat enim in hac quoque specie novum vinum novis utribus recondi, &*

[a] *Vt Iosephus ait l. 3. Antiquit. c. 8.*

 novam

novam plagulam novo adsui vestimento. Et has duas plagulas tunicæ alibi Tertullianus utrumque corpus appellat lib. de Pudicitiâ cap. 8. *Plerosque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in vestibus purpura oculandis sæpissime evenire est, quum putaveris recte conciliasse temperamenta colorum, & credideris comparationes eorum inter se animasse, erudito mox utroque corpore, & luminibus expressis errorem omnem traducta diversitas evomet.* Quod etiam de patagio addit Scaliger haud omnino placet. Quamvis enim Nonius dicat patagium esse clavum aureum, qui pretiosis vestibus immitti solet; valde improprie & pro more sæculi sui locutus est, quo omnia segmenta vestimentorum, quamvis ad oras attexta essent, clavos appellabant, ut inferius dicemus. Patagium enim non erat clavus, sed segmentum aureum, quo summa ora tunicæ circa guttur ornatur. Ita Festus, cuius maior auctoritas quam Nonij: *Patagium est quod ad summam tunicam assui solet.* Atque hanc sententiam aperte firmat Apuleius lib. 2. Metam. *Vberes enim crines leniter emissos, sensimque sinuato patagio residentes, paulisper ad finem conglobatos in summum verticem nodus adstrinxerat.* Vbi eleganter crispos & flavos Fotidis crines circa collum eius dispositos sinuosum patagium appellat. Patagiata etiam tunica ornatus est Gracchus apud Iuuenalem Satyr. 8.

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigit.

Atque hæc breviter de Patagio. Eradicandus enim error ille, qui doctos viros [a] hactenus occupavit, patagium esse clavum aureum in vestimentis mulierum.

[a] *Scaliger. ad Festum. Salmas. ad pallium Tertulliani & alios.*

CAPVT

CAPVT II.

Clavi sunt lineæ purpureæ. Glossarium emendatum. Πορφύρη ἐνυφασμένη. μεσοπόρφυρα. περιπόρφυρα. μεσόλευκος χιτών. *Mesoleucos. Mesomelas. Zonæ. lineæ. virgæ. tramites. viæ.* σημεῖα. *Signa.* πλατύσημος. στενόσημος. ἐσθῆτες σημειωταί. *Clavi vestibus adsuti, interdum intexti.* παρυφαὶ *clavi.* ὁ πάρυφος *laticlavius.* ἐμβάλλειν *proprie de clavis. Suidas emendatus, & Athenæus.* παρυφὲς. *Dionysius Halicarnasseus explicatus.* Τήβενναι περιπόρφυροι, φοινικοπάρυφοι. Ταβλία ῥούσαια. *Trabeæ equestres à Saliaribus diversæ. Trabeæ purpura & cocco ornatæ. Chlamys interdum toga dicitur. Toga non fuit vestimentum clausum. Præclavium. Afranius apud Nonium emendatur. Vnde clavi dicti.*

EX his quæ diximus hactenus patet haud consistere quæ viri doctissimi de clavis vestium censuerunt. Ego vero asserere non vereor, clavos fuisse purpureas lineas, quæ medias vestes intersecabant. Proprie enim purpurea hæc ornamenta, clavi appellata fuere; quamvis deinde etiam ad aurata & picta vestium lumina in modum purpureorum clavorum vestibus inserta hoc nomen translatum est. Lexicon Græco-Latinum, πορφύρα ὑφασμένη *clavus.* Malim, ἐνυφασμένη. Glossæ sancti Benedicti Floriacensis, *Clavare* πορφυρῶσαι. Sosipater Charisius: *Hic clavus, id est impurpurata vestis, id est,* ἐμπόρφυρος ἐσθὴς καὶ ἔνηλος. Græcis dicuntur vestes clavatæ μεσοπόρφυρα, sicut prætextæ περιπόρφυρα. Sic enim passim eas vestes distinguunt. Ita Septuaginta Interpretes cap. 3. Isaiæ: Καὶ τὰ περιπόρφυρα καὶ τὰ μεσοπόρφυρα, καὶ τὰ ἐπιβλήματα κατὰ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ τὰ διαφανῆ λακωνικά. Ad

quem locum Basilius: Τὸν ἐν τῇ ἐσθῆτι κόσμον τῶν καλλωπιζομένων γυναικῶν, ὡς περίεργον διαβάλλει· πορφύραν ποτὲ μὲν καὶ τὰ ἄκρα παρυφαινόντων, ποτὲ δὲ καὶ τὸ μέσον αὐτῇ ἐντιθέντων. *Ornatum mulierum, quo gloriam captant, tamquam superfluum perstringit; nam aut vestium oris attexebant purpuram, aut eam parti mediæ immittebant.*

D. Hieronymus lib 2. Comment. in Isaiam τὰ μεσοπόρφυρα exponit tunicas clavatas purpura: *Pro fascia*, inquit, *pectorali, quam interpretatus est Symmachus, Septuaginta tunicam* μεσοπόρφυραν, *id est clavatam purpura, transtulerunt: quod Aquila cingulum exultationis expressit.* Hinc potest colligi tunicas clavatas non περιπορφύρους, sed μεσοπορφύρους, id est, in media parte distinctas purpura fuisse. Sic Persarum Reges gestabant χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον, tunicam purpuream, cuius medium albo intertextum erat. Curtius lib. III. *Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur, purpureæ tunicæ medium albo intextum erat.*

Sic etiam gemma *Mesoleucos* (vt Plinius ait lib. 37. cap. 10.) *est, mediam gemmam candida distinguente linea; Mesomelas, nigra vena quemlibet colorem secante per medium.* Idem lib. 27. cap. 11. *Leuce Mercuriali similis nomen ex causa accepit, per medium folium candida linea transcurrente; quare Mesoleucon quidam vocant.* Vt itaque πορφυροῦς χιτὼν μεσόλευκος purpurea tunica erat, cuius medium albo intextum erat; Mesoleucos gemma, quam mediam distinguit candida linea; Mesoleucos flos, qui candidam habet lineam transcurrentem per medium folium: ita μεσοπόρφυροι, siue clavatæ tunicæ purpura in medio illuminatæ. Inde clare patet clavos fuisse purpureas lineas, siue virgas, quæ medias vestes intersecabant. Inde & in Dalmaticis Diaconorum nostrorum, quas clavatas fuisse infe-

inferius ostendemus, clavos Alcuinus & Remigius *virgulas*, Amalarius & Honorius *lineas*, Ioannes Diaconus *zonas*, Rabanus *tramites* appellat: quemadmodum Tibullus aureos clavos in femineis vestibus *vias* vocat:

Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit auratas, disposuitque vias.

Et [a] Servius de virgatis Gallorum sagulis; *quæ habebant in virgarum morem deductas vias.* Hos clavos Græci σημεῖα etiam nominant. Glossæ antiquæ: *clavi*, σημεῖα. Sic & Latine aliquando clavi *signa* vocantur, vt apud Virgilium: a Ad 8. Æn.

——*Pallam signis auroque rigentem.*

Et apud Lucretium lib 5.

——*At nos nil lædit veste carere*
Purpurea, atque auro signisque ingentibus apta.

Atque hinc dicitur vestis πλατύσημος, στενόσημος, χρυσόσημος, πορφυρόσημος, &c. *laticlavia*, *angusticlavia*, *auroclavata*, *purpura clavata*. Et ἐσθήτων σημειωτῶν meminit M. Antoninus l. 1. Τὸ ἄρχοντι καὶ πατρὶ ὑποταχθῆναι τοῦ ὅς ἔμελλον πάντα τῦφον ἀφαιρήσειν μου, καὶ εἰς ἔννοιαν ἄξειν τοῦ ὅτι δυνατόν ἐστι ἐν αὐλῇ βιοῦντα, μήτε δορυφορησέων χρῄζειν, μήτε ἐσθήτων τῶν σημειωτῶν, μήτε λαμπάδων, καὶ ἀνδριάντων τοιῶν δέ τινῶν, καὶ τοῦ ὁμοίου κόμπου. *Me Principi & patri fuisse subiectum, qui mihi omnem fastum excutere voluerit, ostenderitque, posse in aula principem agere sine stipatoribus, sine vestibus pictis, sine facibus, statuisque huiusmodi, ac simili luxu.* Vbi tamen credo palmatas aut sigillatas vestes intelligi debere. Latius enim patet σημεῖον Græce, quam *clavus* Latine: aliquando etiam sumitur pro sigillis & plumis vestium. Hos vero clavos plerumque vestibus adsui solitos, ex [b] Vlpiano discimus l. 13. §. 1. D. de auro, arg. leg. *Institæ, picturæ, clavique qui vestibus insuuntur.* b L. 19. §. 5.

Idem

Idem Pomponius in libris Epistolarum, etsi non sunt clavi vestimentis consuti, tamen veste legata contineri. Sic Horatius:

> *Purpureus late qui splendeat unus & alter*
> *Adsuitur pannus.* ——

Nec tamen audiendi viri eruditi [a] qui præfracte negant clavos unquam vestimentis intextos fuisse; sed refellit eos idem Vlpianus in l. 7. D. ad Exhibendum: *Idem est, si granario vel naui tabulam meam, vel ansam scypho iunxeris, vel emblemata phialæ, vel purpuram vestimento intexueris.* Festus: *Clavata vestimenta, clavis intertexta.* Vetus Lexicon Græco-Latinum πορφύρα ἐνυφασμένη, *clavus.* Immo Græci clavos a texendo παρυφὰς videntur appellasse. Hesychius παρυφὴ, ἡ ἐν τῷ χιτῶνι πορφύρα: quamvis non nesciam παρυφὴν aliter exponi a viris eruditis. Nec miror; cum etiam Eustathius se ignorare fateatur quid sit παρυφὴ; scribit enim ad secundam Vlysseæ: ἐκ τοῦ ὑφῶ δὲ καὶ τὸ ὕφος, ἔτι δὲ καὶ ἡ παρυφή. Ἔστι δὲ αὐτὴ κατὰ Ἀθήναιον κόσμου εἶδος ἐν ἱματίῳ, οὐκ ἐνδιαρθρώτως, οὐδὲ πανυσαφῶς, ὁποῖα ἴσως τὰ λεγόμενα ἐξεμπλωτὰ καὶ πλουμιστά. Ἔοικε δὲ μήδε εἶναι ᾤα πρόσθετος διὰ τοῦτο ἡ παρυφή, ἀλλά τι κάλλος συνυφασμένον περί τινα μέρη. *A verbo* ὑφῶ, *id est texo, venit* ὕφος, *atque etiam* παρυφή: *est autem paryphe secundum Athenæum ornamenti genus in veste: sed non satis plane & aperte quid fuerit indicat. Forte fuit ut illa, quæ dicuntur exemplota & plumaria: nec tamen videtur fuisse ora vesti apposita, sed aliquod ornamentum quibusdam partibus vestimentorum attextum.* Vbi videmus Eustathium, quamvis neget liquido sibi constare quid sit παρυφή, tamen haud accedere ijs qui παρυφὴν esse limbum extremæ oræ attextum existimant. Quod tamen nunc omnibus fere eruditis viris persuasum. Sic Henricus Stephanus

[a] *Hieron. Bossius Syntag. 8. De lato clavo.*

nus in copiosissimo suo Thesauro linguæ Græcæ παρυφὴν interpretatur *limbum*. Salmasius ad Vopiscum: *Τὴν παρυφὴν ἀπὸ τῆς ὤας distinguunt Græci: ὤαν, extremam oram vestis & infimam vocant; παρυφὴν, quod ad extremam oram adsutum est, purpureum prætextum*. Iulius Pollux etiam παρυφὰς cum limbis confundere videtur lib. 7. cap. 14. αἱ δὲ παρὰ τὰς ὤας παρυφαὶ καλοῦνται πέζαι καὶ πεζίδες καὶ περίπεζα. sed ibi improprie hac voce vsus est, ut Latini quoque Grammatici clavorum nomen ad limbos aliquando transferunt. Nam capite præcedenti ait: αἱ μέντοι ἐν τοῖς χιτῶσι πορφυραῖ ῥάβδοι παρυφαὶ καλοῦνται: *virgæ purpureæ in tunicis parypha vocantur*. Virgæ autem purpureæ vel aureæ non imis oris assuebantur, sed medijs vestibus inserebantur, vt in sagulis Gallorum, & Dalmaticis Diaconorum, quarum clavos Alcuinus & Remigius Antisiodorensis virgulas coccineas appellant; ut alibi latius dicemus. Sed & Lucianus lato clavo indutos εὐπαρύφους appellat in Demonacte: Ἰδὼν δέ τινα τῶν εὐπαρύφων ἐπὶ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας μεγαλοφρονοῦντα: *Videns gloriantem quendam ex laticlavijs ob latitudinem purpuræ*. Proprie itaque Plutarchus de παρυφῇ loquens, verbo ἐμβάλλειν vsus est, libro de institutis Laconicis, σακκοφόρον ἀνεῖλον διότι παρυφὴν εἰς τὸν σάκκον ἐνέβαλε. *Saccos solitum baiulare necarunt; quod prætextam sacco inseruisset*. Nam τὸ ἐμβάλλειν non de limbis aut prætexta purpura, sed de clavis a Græcis dicitur. Suidas in voce χλαμύς: Νουμᾶς ὁ πρῶτος ῥωμαίων βασιλεὺς πρεσβείαν Ἰσαύρων δεξάμενος, καὶ τὸ σχῆμα τῆς φορεσίας αὐτῶν καταμαθὼν ἐξ αὐτῶν λαβὼν ἐφόρει τὴν χλαμύδος στολὴν, οὐκ ἔξωθεν ἐπιθεὶς, ἀλλ' ἔσωθεν ἐμβαλὼν τὴν τῆς πορφύρας βαφήν. Vbi verba illa notanda, οὐκ ἔξωθεν ἐπιθεὶς, ἀλλ' ἔσωθεν ἐμβαλὼν τὴν τῆς πορφύρας βαφήν. *Non extrinsecus addens, sed intrinsecus immittens purpuram*.

Corrigendus hac occasione Suidas in voce στολὰς, vbi

 ait:

ait: Ζήτει περὶ στολῆς νεῦμα ἐν τῷ χλαμύς. Quod interpres vertit: *Quære* περὶ στολῆς νεῦμα *in voce chlamys*, & addit: *at nihil ibi hac de re legitur.* Sed ego ſane miror eum non vidiſſe legendum eſſe, περὶ στολῆς Νουμᾶ, cum ibi tradat de Numa Rege, qui invenit τῆς χλαμύδος στολήν. atque hoc obiter. Phylarchus, & ex eo Athenæus lib. 12, & Euſtathius in Iliada, tradunt Syracuſanis lege cautum fuiſſe τὰς γυναῖκας μὴ κοσμεῖσθαι χρυσῷ, μηδ' ἀνθινὰ φορεῖν, μηδ' ἐσθῆτας ἔχειν πορφυρέας ἐχούσας παρυφάς. id eſt, *veſtes purpureis ornatas clavis.* Tarentini, vt Clearchus tradit apud Athenæum, ἐφόρουν καὶ παρυφὴν διαφανῆ πάντες ὃις νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος. Ad quem locum Caſaubonus: *Vel*, inquit, ᾗ *ſcribendum pro* οἷς; vel ita potius concipienda, ἐφόρουν καὶ παρυφὴν διαφανῆ πάντα τε οἷς νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος. Mihi videtur una littera ablata locum hunc ita legi poſſe: ἐφόρουν καὶ παρυφῆ διαφανῆ πάντες οἷς νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος. ita ut τὸ παρυφῆ ſit accuſativus pluralis ἀπὸ τοῦ παρυφές. Vt enim ſupra ex Iulio Polluce demonſtravimus, τὸ παρυφὲς eſt veſtis, quæ purpureas παρυφὰς habet. Vt tamen in Athenæo, ita etiam legitur locus ille apud Euſtathium in β τῆς ὀδυσσ. Adhæc inter purpuream prætextam & παρυφὴν palam diſtinguit Dionyſius lib. 2. Antiquitatum de Salijs: ἄγουσι τοὺς χοροὺς εἴς τε τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ Καπιτώλιον, καὶ πολλοὺς ἄλλους ἰδίους τε καὶ δημοσίους τόπους, χιτῶνας ποικίλους χαλκέαις μίτραις κατεζωσμένοι καὶ τηβέννας, ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους ἃς καλοῦσι τραβέας. Sed vltima hæc verba doctorum virorum ingenia admodum exercent; nam interpres vertit: *palmatis e purpura togis amicti*, quod amplectitur incomparabilis Petavius ad orat. 11. Themiſtij. Ab Henrico Stephano Φοινικοπάρυφος veſtis exponitur *puniceo limbo prætexta*. Bayſius de Re veſtiaria cap. 19. ſupraſcripta verba Dionyſij vertit, *togaſque anne-*

Lib. 12.

annectentes fibulis circumductas purpura ſubtegmine puniceo. Salmaſius corrigit τηβέννας ἐμπεπορπημένοι πορφυρᾶς φοινικοπαρύφους. Donyſius etenim lib. 6. Equitibus trabeas attribuit, πορφυρᾶς φοινικοπαρύφους. Sed inter trabeam Equeſtrem & Saliarem diſcrimen fuiſſe arbitror. Nam tria genera trabearum enumerat Servius ad 7. Æneidos, & Ioſephus Scaliger ad Feſtum in voce *Troſſuli.* Aldus Manutius τηβέννας περιπορφύρους φοινικοπαρύφους in Dionyſio interpretatur *togas purpura prætextas puniceo colore alternis intertexto.* quod non diſplicet. malim tamen : *togas purpura prætextas puniceis vel coccinis clavis diſtinctas* : nam trabeas fuiſſe purpura & cocco ornatas Servius & Iſidorus tradunt. ita ut fere credam coccinas παρυφὰς trabearum fuiſſe ταβλία ῥουσαῖα, quæ Numam chlamydibus inſeruiſſe Chronicon Alexandrinum, & Cedrenus volunt. Quamvis non ignorem magnam me aleam ſubire, ſi chlamydis nomen trabeæ attribuo, quam togam fuiſſe Dionyſius aſſerit. Verum tuebitur me Artemidorus, qui ipſam togam chlamydem appellat: Τὰ δ' αὐτὰ καὶ ῥωμαϊκὴ ἐσθὴς ἣν νῦν τήβενναν καλοῦσι ἀπὸ Τημένου τοῦ Ἀρκάδος, ὃς πρῶτος τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα τοῦτον περιεβάλετο τὸν τρόπον. *Idem ſignificat Romana veſtis, quam nunc* τήβενναν *vocant a Temeno Arcade, qui primus chlamydem ſuam hunc in modum circumiecit.* Et quamvis non neſciam chlamydem & paludamentum a toga differre; tamen non meruit tam acerbe a viro erudito perſtringi Nicolaus Abramus, quia trabeam & paludamentum confundit, quod tamen & Ælius Stilo feciſſe videtur, qui ſcripſit, teſte Feſto, Salias virgines ſacrificium facere in regia, *paludatas cum apicibus in modum Saliorum.* Sed abripuit Ferrarium perſuaſio, quæ nunc omnibus fere doctorum mentibus infixa eſt, togam fuiſſe veſtimentum vndique clauſum,

Lib. 2. c. 3.

quod immissum supra caput vno iniectu totum corpus operiret. Ita ut Franc. Francus in Confutat. animadv. Kerkoëtij pag. 48. Aldus Manutius lib. 1. de Quæsitis per Epistolas cap. 11. Ferrarius lib. 1. cap. 1. de Re vestiaria, asseverare non vereantur, nugari eos qui cum Sigonio togam apertam faciunt, ac refelli ἀυτοψία. Sed & hæc ipsa ἀυτοψία veterum statuarum & nummorum, ut etiam vidit Donius in elegantissima dissertatione de utraque pœnula, hanc sententiam plane damnat. Et Plutarchus in Gracchorum vita, αὐτοῦ δὲ τοῦ Τιβερίου φεύγοντος ἀντελάβετό τις τῶν ἱματίων· ὁ δὲ τὴν τήβενναν ἀφεὶς καὶ φεύγων ἐν τοῖς χιτῶσιν ἐσφάλη. *Tiberij fugientis apprehendit quidam amictum; ille toga relicta fugiens in tunica cespitavit.* Sed de hac re totoque togæ circumiectu latior alibi, Deo volente, dicendi locus erit.

Cæterum illud quod primo textum erat, ut deinde purpura aut auro illuminaretur, præclavium vocabant. Ita Nonius: *Præclavium pars vestis, quæ ante clavum texitur.* Quod displicet Claudio Salmasio, qui in Notis ad Fl. Vopiscum Aurelianum negat se scire quid sibi voluerit Nonius, qui simpliciter secutus verbi compositionem, *præ* est *ante*, ergo præclavium id quod ante clavum explicavit. *Ipse credit præclavium idem esse quod prætextam purpuram; Nonij tamen sententia aperte firmatur verbis illis Afranij quæ adfert:

Mea nutrix surge, si vis, profer purpuram
Præclavium, contextus.

Si pro *contextus* legamus *contextum est*, quid clarius? Mulier illa apud Afranium imperat nutrici suæ, ut purpuram adferat, quia præclavium iam contextum est: nec quidquam adiuvat Salmasium Glossarium Cyrilli, in quo παρυφὴ exponitur *præclava prætexta*, sive *præclavium.* Nec enim

enim ibi prætextum denotat purpuram quæ veſtium oris prætexitur; ſed ſimpliciter aliquid quod *præ*, id eſt *ante* textum eſt.

Ceterum cur σημεῖα veſtimentorum clavi dicti, inquirendum. Eruditi viri exiſtimant clavos appellatos fuiſſe a forma, quia capita clavorum referebant. Sed quia hanc opinionem abunde refutavimus, aliunde petenda verbi huius denominatio; quam ſane nuſquam reperio. Sed tamen, ne nihil dicam, coniecturam meam in medium proferam; quæ tamen nec mihi ipſi plane ſatisfacit. Exiſtimo igitur nomen hoc deſumptum & tranſlatum eſſe a vaſis & poculis, quæ olim variè exornabant κατὰ τὴν ἐμπαιστικὴν τέχνην. Etenim ornamenta quædam aurea in poculis argenteis, vaſis, & alijs inſtrumentis inſerebant, quæ, quia primum rotunda erant ut capita clavorum, & poculis ut clavi infigebantur, clavos appellabant. Ita de Neſtoris poculo Homerus:

Πάρ δέπας ἦν περικαλλὲς ὃ οἴκοθεν ἦγε
Χρυσίοις ἥλοισι πεπαρμένον.

Et alibi ſæpe. Hinc omnia alia ſigna calicibus, poculis, & alijs inſtrumentis infixa, quamvis longa aut quadrata eſſent, & generaliter πάντα τὰ ἐμπαίσματα videntur clavos appellaſſe, & Græci ἥλους. Forte etiam hinc Zacharias Calliergus in Idyllion Theocriti κισσύβιον ligneum, in quod inſertæ erant variæ tabulæ ligneæ figuris ornatæ, appellat ξύλινον ἔκπωμα κεκοσμημένον γόμφοισι πολλοῖς. Hinc cum veſtibus purpurea aut alterius coloris ſegmenta inſerebantur, per tranſlationem ea ſigna & clavos appellarunt; imo & eadem tranſlatione veſtes ipſas ſignis exornatas χρυσεμπαίστους dixerunt, ut ex Chryſoſt. probat Caſaubonus, quẽ vide. Et eodem modo dicunt ἐμβάλλειν immittere clavum veſtimento. *Lib. 9. Animadverſ. in Athen. cap. 12.*

CAPVT III.

Clavi vel transverse, vel per medias vestes deducebantur. Transversi clavi, poparum & publicorum servorum ornatus. Muliebres, & cytharœdorum, aliorumque scenicorum tunicæ transversos habuerunt clavos, sed auratos, vel pictos. Paragaudæ. Angusticlaviorum tunicæ rectos habebant clavos. Barbarorum indumenta pluribus clavis ornata. Tunicæ Gallorum matris Deûm. Sagula Gallorum. Pœnulæ & tunicæ tres aut quatuor clavos habentes. Statius explicatus. Virilibus Romanorum tunicis haud plures quam unus vel duo clavi inseri soliti.

HÆ vero lineæ purpureæ vel recte vel transverse per medias vestes deducebantur. Et transversa quidem purpura cinctum poparum & publicorum servorum ornatum fuisse video. Hygenus de Limitib. constit: *Limites autem appellati a limo antiquo verbo, id est transversi; nam & limum cinctum ideo, quod purpuram transversam habeat.* Servius P. Danielis ad 2. Æneidos: *Alij nimbum clavum transversum in veste existimant.* Isidorus lib. 19. cap. 33. *Limus est cinctus, quem publici habent servi, & dictus limus, quia transversas habet purpuras.* Muliebres quoque, & cytharœdorum, aliorumque artificum Dionysiacorum tunicæ quandoque transversis clavis ornatæ, qui tamen plerumque aurati erant, vel picti, & *paragaudæ* vocabantur, nec in virilem usum venerunt, nisi post tempora Gallieni. Certe angusticlaviorum purpuras rectas fuisse, & a summa tunicæ ora ad imam descendisse, Quintilianus indicat lib. 11. *Cui lati clavi ius non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paullum posterioribus ad medios*

dios poplites vsque perveniant : vt purpuræ recte descendant levis cura est, notatur interim negligentia. Ita & de pœnulis Eucherius lib. 2. ad Salonium: *Pænula in Apostolo Latinum est; est autem quasi lacerna descendentibus clavis.* Nunc quot clavis vestes distingui solerent disquiramus. Nonnulla quidem Barbarorum indumenta pluribus clavis variata erant, ut tunicæ Gallorum matris Deûm. Scholiastes Iuvenalis in Sat. 8. *Galli in sacris vtuntur tunica in modum organi, vtrimque decrescentibus virgulis purpureis.* Apuleius lib. 8. Metam. *Quidam tunicas albas in modum lanceolarum, quaqua versus fluente purpura depictas, cingulo subligati.* Et forsan erant eo modo variata sagula Gallorum, quæ veteres virgata appellant, quamvis Scaliger in Coniectaneis ad Varronem ea cum scutulatis vestibus confundat. In picturis quoque cœmiteriorum ab Antonio Bosio editis apparent quandoque pœnulæ & tunicæ tribus atque etiam quatuor clavis purpureis ab anteriori parte ornatæ. Et de tribus clavis forsan intelligendus Statius l. 8.

——Triplici velaverat ostro
Surgentes etiamnum humeros & levia mater
Pectora.

Vbi *triplici ostro*, ut apud Apuleium, *duplici purpura.* Sed in virilibus Romanorum tunicis haud plures quam vnum vel duos clavos inseri solitos Horatius videtur asserere:

Purpureus late qui splendeat unus & alter
Assuitur pannus.

Quintilianus lib. 8. c. 5. *Porro ut affert lumen clavus purpuræ loco insertus; ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis.* ex quibus verbis Gillius, Bayfio teste, unicũ tantum clavum tunicæ insertum fuisse conficit: quod verum est, si *Cap. 7.*
ad

ad laticlaviam tunicam reſtringas, ut poſtea docebimus; ſed anguſticlaviæ duobus clavis ab vtroque humero deſcendentibus ornatæ fuerunt, quod inferius oſtendemus.

CAPVT IV.

Vittæ: diademata Regum Perſarum. mappæ. mantilia. lintea toralia. pulvinaria. chirothecæ clavatæ. manicæ. chirothecæ feminis in vſu: olim ſoli ruſtici eas portabant: erant ex rudi corio, ne ſpinæ læderent manus: Romani adverſus frigus eas uſurpabant. Chirothecæ duplicis generis: quædam digitos omnes exprimebant, quædam ſine digitis erant. Digitalia, δακτυλῆθραι. delicatiorum chirothecæ ex lana coctili.

POſtquam iam explicavimus quid ſint clavi in veſtimentis, reſtat ut ſigillatim recenſeamus omnia illa quæ clavis ornari ſolebant. Ac primo quidem de vittis purpureis albo clavo diſtinctis Statius lib. 2. Thebaidos:

—— & ab arbore caſta
Nectent purpureas niveo diſcrimine vittas.

De diademate regum Perſarum Curtius lib. 3. *Cidarin Perſæ Regium capitis vocabant inſigne, hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat.* Et lib. 6. de Alexandro: *Itaque purpureum diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Etiam mappas, ut iam ſupra diximus, purpura clavabant. Petronius de Trimalcione: *Circaque oneratas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam.* Et Martialis:

Et lato variata mappa clavo.

De mantilibus auro vel cocco clavatis Lampridius in Alexandro Severo: *Convivium neque opiparum, neque nimis parcum,*

parcum, sed nitoris summi fuit; ita tamen ut pura mantilia mitterentur sæpius cocco clavata, aurata vero nunquam, cum hæc Heliogabalus iam recepisset, & ante, ut quidam prædicant, Hadrianus habuisset. De linteis thoralibus *clavos ita latissimos habentibus, ut sibi invicem arte ministrantium cohærerent* Ammianus Marcellinus lib. 16.

Pulvinaria etiam aliquando clavis variata fuisse constat ex Clearcho Solensi, qui ita scribit de juvene quodam Paphio, προσκεφάλαια δ' εἶχε ξία μ' ὑπὸ τῇ κεφαλῇ βύσσινα περιαλουργῆ, id est, *byssina purpura clavata*, ut latius infra disputabimus. Apud Athenaeum l. 6.

Invenio etiam manuum illa tegmenta, quæ chirothecas appellamus, posteriori ævo aliquando clavatas fuisse, ut nunc etiam fieri solet. Aldhelmus de laudibus virginitatis: *Nam cultus gemini sexus huiuscemodi constat, subucula byssina sive hyacinthina, tunica coccinea, capitium, & manicæ sericis clavatæ, gallicula rubricatis pellibus ambiuntur.* Vt autem hic manicas pro chirothecis sumam, non pro manicis tunicæ, facit D. Chrysostomus, qui itidem sacris virginibus chirothecas tribuit Homil. 8. in 1. ad Timotheum: Τὰς δὲ χεῖρας, inquit, καθάπερ οἱ τραγῳδοὶ, οὕτω μετὰ ἀκριβείας ἐνδιδύσκουσιν, ὥστε νομίζειν προσπεφυκέναι μᾶλλον αὐταῖς. *Manus vero sicut Tragœdi tam accurate chirothecis muniunt, ut natura annexas eis existimes.* Ex quo videmus illo tempore iam in usu fuisse hæc manuum tegmenta fæminis accuratiora. Ante soli rustici ea portabant ex rudi corio, ut manus a spinis defenderent. Homerus Ω τῆς Ὀδυσ. de Laërte:

——περὶ δὲ κνήμῃσι βοείας
Κνημῖδας ῥαπτὰς δέδετο γραπτῦς ἀλεείνων
Χειρῖδας ἐπὶ χερσὶ βάτων ἕνεκ'.

Circum autem tibias bovinas

Ocreas confictas ligaverat (spinarum) punctiones vitans
Chirothecasque in manibus ruborum gratia.

Romani etiam aliquando ad arcendum frigus eas portabant. Plinius Epist. 5, lib. 3. *Ad latus Notarius cum libro & pugillaribus, cuius manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studij tempus eriperet.* Hæ autem chirothecæ duplicis generis erant; quædam enim digitos omnes exprimebant, quas Varro lib. 1. de Re rustica cap. 55. *digitalia* appellat, aut, ut Scaliger legit, *digitabula*. Græci δακτυλήθρας, ut Xenophon lib. 8. de Exped. Cyri, qui eas Persis in usu fuisse scribit.

Aliæ sine digitis erant, ut eæ, quas nunc **wanten** appellamus. Eustathius ad dictum locum Homeri: Ἰστέον δὲ ὅτι οὐ μόνον κατὰ ἀκανθῶν χειρῖδες ἐπινενόηνται, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἔργων εὐχερείᾳ· καὶ τοξεύοντες γοῦν τινες χειρῖσι χρῶνται εἰ καὶ μὴ δακτυλωταῖς, καὶ πλύνοντες δὲ καὶ ζυμοῦντες. *Sciendum vero non solum propter spinas chirothecas esse inventas, sed & ad alia opera prompte expedienda. Nam & sagittas iacientes chirothecis utuntur, sed non nisi digitabulis, ut & lavantes & fermentantes.* Delicatiorum autem chirothecæ aut ex lana coactili, aut ex textili erant; Musonius apud Stobæum serm. 1. Διὰ τοῦτο οὐδαμῶς καλὸν οὔτε ἐσθήσεσι πολλαῖς καταστκέπειν τὸ σῶμα, οὔτε ταινίαις κατειλεῖν, οὔτε χεῖρας τε καὶ πόδας περιδέσει πίλων ἢ ὑφασμάτων τινων μαλακύνειν τούτους μὴ νοσοῦντας. *Quare minime honestum est vestitu nimio operire corpus, aut fascijs involvere, aut manus pedésve circumligatis cuiuscumque generis pannis ac linteis quibusdam molles & languidos reddere, cum morbo non sint impliciti.*

CAPUT

CAPVT V.

Trabea clavata. Trabeæ veriverbium. quod genus vestis. Tria trabearum genera secundum Suetonium, & Ios. Scaligerum. Hæc opinio refellitur. Vna tantum trabeæ species proprie sic dictæ. Trabea cur toga dicta. Fuit brevior toga. Non multum dissimili forma fuit a paludamento. Toga solo circumiectu diversa a chlamyde Macedonica. Trabea solo colore a paludamento & chlamyde differt; illius color ex purpura & cocco. Coccinus color cum purpureo confunditur. Trabea quid & quomodo a paludamento differat. Regum & Cæsarum chlamydes cuius coloris fuerint. Limbus. Vindicatur Trebellius Pollio a Salmasij emendatione. Salij & Equites trabeam fibula restrinxerunt. Reges & Consules ritu Gabino trabeas portarunt. Cinctus Gabinus quid. Consules cum Ianum aperirent hoc cinctu usi, & Pontifices cum bellica sacra facerent. Tertullianus explicatus: eius μνημονικὸς error.

INter vestes prima occurrit trabea, quam clavis ornatam fuisse nomen ipsum indicat. Trabea enim dicta est, quod trabibus seu clavis intexta sit. Sed quod genus vestis fuerit trabea, diu multumque quæsitum est ab Antiquarijs, & Isidorus quidem lib. 19. Originum ita definit: *Trabea erat togæ species ex purpura & cocco, qua operti Romanorum Reges initio procedebant.* Idem in Glossis: *Trabea vestis Senatoria, vel Regia purpura, vel toga purpurea est.* Servius ad 7. Æneidos tradit ex Suetonij lib. de genere vestium tria esse genera trabearum, *Vnum Dijs sacratum, quod est tantum de purpura: aliud Regum, quod est purpureum; habet tamen aliquid album: tertium augurale, de purpura & cocco.* Iosephus Scaliger ad Festum in voce *Trossuli* itidem di-

stinguit trabeam, in Regiam, Quirinalem, & Trossulam. *Regia*, inquit, *tota de sola purpura, quam Græci* ὁλοπόρφυρον *dicunt, ea uti solis Regibus licebat, vel adolescentibus de stirpe Regia. Quirinalis concinnior, prælijs apta: hac, cum bellum susciperetur, duces amicti Iani fores aperiebant. Trossula cocco purpuráque pertexta erat, quam etiam Auguralem vocabant, Græci* ἐφεστρίδα. Sed hæ Grammaticorum distinctiones non placent Lipsio ad Tacitum lib. 3. Annalium. ipse credit fuisse vestem trabibus purpuræ intextam. Cui ego in hoc assentior, trabeæ proprie dictæ vnam tantum fuisse speciem, quamvis auguralis vestis, quia eadem forma erat, qua trabea, sic etiam potuerit appellari, vt & consulare peplum posterioris ævi. Igitur quod Grammatici tradunt trabeam togæ speciem esse, id non simpliciter accipiendum. Trabeam enim, quæ & ipsa purpura prætexta erat, a toga prætexta distinguit aperte Plinius lib. 9. cap. 39. *Purpuræ usum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea: nam toga prætexta & latiore clavo Tullum Hostilium e Regibus primum usum, devictis Hetruscis, satis constat.* Et lib. 8. cap. 48. *Prætextæ apud Hetruscos originem invenere, trabeis usos accipio Reges.* Sed hac ratione togæ speciem esse dixerunt, quod rotunda erat, non quadrata, ut pallium & chlæna Græcorum. Erat autem brevior quam toga, unde Virgilius:

——Parvaque sedebat
Succinctus trabea.

Inde constat non multum dissimili forma fuisse a paludamento aut chlamyde Romana. Hinc Salios, quos trabeatos facit Dionysius, paludatos appellat Festus: *Salias virgines Cincius ait esse conductitias, quæ ad Salios adhibebantur cum apicibus paludatæ, quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere in*

in Regia paludatas cum apicibus, in modum Saliorum. Idque haud tam absurde affirmavit Nicolaus Abrahamus, ut visum fuit viro doctissimo, quod paulo ante monuimus. Nec enim multum ad rem facit, quod hic vehementer urget, *trabeam togam* appellari a Servio & Dionysio, cum paludamentum chlamys fuerit; nam etiam Artemidorus, ut alios omittam, togam appellat chlamydem, ut vidimus. Unde satis constat, togam solo circumiectu fuisse diversam a chlamyde Macedonica, quæ & ipsa rotunda erat. Non inficior tamen Abrahamum haud recte tunicas puniceas cum trabea & paludamento confundere. Sed ut in viam revertar, existimo trabeam non forma, sed solo colore a vulgari paludamento & chlamyde differre: is autem erat ex purpura & cocco. Sed qua ratione illi duo colores distincti erant, dubium est; sed clare id demonstrat Dionysius Halicarnassæus lib. 2. de Salijs: καὶ τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους ἃς καλοῦσι τραβέας. Et idem lib. 6. de Equitum transvectione Idib. Quintil. καὶ τηβέννας περιπορφύρους φοινικοπαρύφους ἃς καλοῦσι τραβέας. ubi videmus nullam esse differentiam inter Equestrem & Saliarem trabeam. Difficultatem quam movent superius cap. 2. ubi de παρυφῇ egimus, minuimus, ac ostendimus vertendum esse *purpura prætextas, & puniceis aut coccinis clavis aut trabibus distinctas*, (αἱ μὲν γὰρ ἐν ταῖς χιτῶσι πορφυραῖ ῥάβδοι παρυφαὶ καλοῦνται), ut ait Iulius Pollux. Et ab his clavis sive trabibus intertextis vestis ipsa trabea vocata fuit. Coccinum autem colorem confundi a veteribus constat ex paludamento Imperatorum, quod cum coccinum fuerit, ut ex Plinio constat, φοινικὶς appellatur a Plutarcho, & *punicum* ab Horatio, ut videri potest apud Lipsium lib. 2. de Milit. Rom. dial. 12. Scholiastes

ſtes Ariſtophanis ἐν εἰρήνῃ· φοινικίδα περικεφάλαιαν φοινικῷ χρώματι βεβαμμένην. οἱ δὲ κόκκινα περιβλήματα.

Igitur cenſeo trabeam fuiſſe chlamydem albam purpura prætextam, & inſuper clavis aut trabibus e cocco diſtinctam, a quibus trabea dicebatur. Paludamentum vero Conſulum, quamvis & ij aliquando alba chlamyde, aliquando etiam trabea vtebantur, in hoc differebat, quod totum erat coccinum, ſed limbo purpureo prætextum. ita intelligo Iſidorum: *Paludamentum pallium fuit Imperatorum, cocco, purpura & auro diſtinctum.* D. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euangeliſt. de chlamyde Domini noſtri, quam Marcus purpuream appellat, Matthæus vero coccineam; *poteſt etiam fieri ut purpuram etiam Marcus commemorarit, quam chlamys habebat, quamvis eſſet coccinea.* Regum & Cæſarum chlamydes totæ purpureæ, aliquando picto limbo aut aureo circumtextæ erant. Hinc Virgilius 4. Æneidos:

Tandem progreditur magna ſtipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Et ab hoc limbo totam chlamydem limbum appellat Trebellius Pollio de Zenobia: *Ad conciones galeata proceſſit cum limbo purpureo.* Vbi male Salmaſius corrigit *limo purpureo.* D. Hieronymus lib. 4. Comment. in Matt. cap. 27. *Illudentes hoc faciunt, ut nudatum priſtinis veſtibus induant chlamydem coccineam, pro ruffo limbo quo Reges veteres utebantur.*

Sed ut ad trabeam reuertamur; illud certum, Salios quidem trabeas ſuas fibula reſtrinxiſſe, ut & Equites. Martialis v.

Theatra loqueris & gradus & edicta,
Trabeaſque & Idus fibulaſque cenſuſque.

Non

Non ita Reges prisci & Consules ad bellum profecturi, qui ritu Gabino trabeas suas portabant. Ita apud Virgil.

Ipse quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.

Et de Pico Rege:

—— parvaque sedebat
Succinctus trabea.

Is enim erat cinctus Gabinus *cum toga aut trabea sic in tergum reijcitur, ut una eius lacinia revocata hominem cingat*, ut ait Servius in 7. Æneidos. Ille enim plenius describit quam aut Glossæ veteres Persij aut Isidorus. Hic cinctus cernitur clare in æreo sigillo quod infra exhibebimus; ex quo satis cuivis patebit errare eos, qui censent Prætorem, qui in veteri lapide apud portam Nomentanam mappam mittit, hoc habitu esse. Expressus est hic lapis à Philippo Rubenio patruo meo lib. 1. Elect. cap. 30. Notum est Pontifices cum bellica sacra facerent, & Consules cum Ianum aperirent, hoc cinctu usos. Sed hac occasione elucidandus locus Tertulliani cap. 3. De Pallio, ubi ita de Catone scribit: *Atque adeo ipse qui Græcos pellendos urbe censebat (litteras eorum vocemque senex iam doctus) idem Cato Iuridicinæ suæ in tempore humerum exertus, haud minus palliato habitu Græcis favit.* In quo loco explicando varie se torquent interpretes, ut videri potest apud Salmasium in Notis ad libellum illum Tertulliani. Ipse explosis aliorum opinionibus existimat, Tertullianum intelligere cinctum Gabinum, quo Magistratu tantum, id est Prætura, vel consulatu utebantur. Sed ego non dubito affirmare, Tertullianum hic memoria lapsum, cum de Catone Censorio scribit, id quod Plutarchus & Asconius de Vticensi Catone produnt; nempe eum Præturæ suæ tempo-

Salmasius ad Tertulliani pallium.

tempore, ſine tunica campeſtri ſub toga cinctum ius dixiſſe Græcorum Philoſophorum more, qui ſine tunica pallium ferebant, atque ita humerum exerebant. Ita dixit & de Cethego Silius lib.8.

Ipſe humero exertus gentili more parentum
Difficili gaudebat equo.

Et Lucanus:

——*Exertique manus veſana Cethegi.*

Quia, ut inquit Porphyrion ad Horatium, omnes Cethegi hunc morem ſervaverunt, ut numquam tunica uterentur, ſed ſolo cinctu, ſive campeſtri. Nihil aptius afferri poteſt ad ſenſum Tertulliani. De trabea Conſulari poſterioris ævi infra dicemus cap. 22.

CAPVT VI.

Chlamydes clavis ornatæ. Pollux vindicatus. Numæ tempore ea Romanis in usu venerunt. Milites in dignitate aliqua positi tantum chlamydes portabant. Pænulæ clavatæ. Forma pænulæ. Pænula fuit aperta. Lacernæ eadem forma fere quæ pænulæ. Lacernæ cucullatæ. Caracallæ etiam cucullos habuerunt. Ephod quale vestis genus. Caracallæ Gallicum vestimenti genus. Martialis explicatus. Pallæ & πέπλοι omnes tunicæ χιστοὶ. Pænulæ cucullos habuerunt. Pænulæ & lacernæ differentia. Pænulæ ipsi cucullus adsutus: separatur a lacerna. Festus explicatus. Isidorus glossemate purgatus. Velleius Paterculus emendatus. Angusticlavia pænula contentus. Præfecti Vrbis militari habitu utebantur intra urbem. Equites Imperatorum ævo pænulis clavatis aut lacernis usi. In magno luctu Senatores posita veste Senatoria Equestrem sumpsere. Ἱππὰς στολὴ lacerna aut pænula. Aliqui Imperatores togarum usum revocare studuerunt. Mæcenas militari veste utebatur, quia Præfectus Vrbis erat. Pænula vestis militaris. Cur Mæcenati obiectum quod discinctus, Cæsari quod cinctus incederet. Laticlavij non cingebantur. Milites cincti. Pænulæ non cinctæ: sed tunicæ quibus illæ superinduebantur. Gellius illustratus. Casula idem quod pænula. unde dicta.

ETiam chlamydes aliquando clavis ornari solitas ostendit Iulius Pollux lib. 7. cap. 13. Χλαμύς ἡ μὲν ὁλόλευκος ὡς Φιλέταιρος ὁ κωμωδοδιδάσκαλος ὠνόμαζεν. ἡ δὲ παρυφὶς καὶ περιπόρφυρος, ἣ καὶ ὡς ἡ νέα κωμῳδία διπάρυφος. *chlamys & hæc quidem tota alba, ut Philetærus Comicus nominat: illa vero purpureis clavis ornata, quæ a nova Comœdia vocatur* διπάρυφος. Vbi haud recte Wolfgangus Seberus legendum censet παρυφὴς καὶ περιπόρφυρος; non enim hic agit Pollux de chlamyde prætexta, sed de ea quæ clavis distincta est, quod indicant voces παρυ-

φὶς καὶ διπάρυφος. παραπόρφυρος vero vocatur eodem modo ut παραλουργής. idem Pollux appellat ἱμάτιον ἑκατέρωθεν ἔχον παρυφασμένην πορφύραν. *vestem habens utrimque clavos purpureos.* Chlamydes autem clavatas Numæ tempore Romanis in usum venisse tradit Chronicon Alexandrinum: Οὗτος Νουμᾶς ὁ καὶ Πομπίλιος δεξάμενος πρεσβευτὰς ἐκ τῆς χώρας τῶν λεγομένων Πελασγῶν, φορούντων χλαμύδας, ἐχούσας ταβλία ῥούσαια, καθάπερ οἱ ἀπὸ τῆς Ἰσαυρίας χώρας, καὶ τερφθεὶς τοῦ σχήματος ἐπενόησεν πρῶτος ἐν Ῥώμῃ χλαμύδας φορεῖσθαι τὰς μὲν βασιλικὰς πορφυρᾶς ἐχούσας ταβλία χρυσᾶ τὰς δὲ τῶν συγκλητικῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν ἀξίαις καὶ στρατείαις χλαμύδας σήμαντρον τῆς βασιλικῆς φορεσίας ταβλία πορφυρᾶ ἀξίαν δηλοῦντα ῥωμαϊκῆς πολιτείας. *Iste Numa Pompilius capiens Senatores ex regione Pelasgorum, gerentium chlamydes, habentes coccineos clavos, quales Isaurorum sunt, & captus illo habitu primus instituit Romæ chlamydes gestare, & ut regiæ quidem habeant clavos aureos, Senatorum vero & aliorum, qui in magistratibus & cum imperio sunt chlamydes, signum regij vestitus, habentes clavos purpureos, indicantes dignitatem Romanæ Reipublicæ.* Idem refert Suidas in voce Chlamys, & Cedrenus. sanctus Dorotheus Archimandrita Doctrina 1. *Habet unusquisque Regi militans purpuram in læva sua. Ex quo enim Rex purpuram ferre cœpit, omnes eius milites sagulis suis purpurea signa apposuere, ut ex his appareat, Regios sese esse, & Regi commilitare.* Non tamen omnes milites huiusmodi chlamydes portabant, sed ij tantum qui in dignitate aliqua positi erant. Cassiodorus lib. 6. cap. 21. in formula Rectoris provinciæ: *Chlamydis tuæ proculdubio inter alia clavos intende, quos scias non inaniter positos. Hinc fit, ut cum publicum agentes purpuram cernerent, de vigore semper Principis admonerent. Geniatus indutus, vestis gratiosa, quam filio suo Priapo Venus*

nus dicitur texuisse, ut eximiæ pulchritudinis matrem singulariter ornatus filius testaretur.

Nec solum chlamydes & trabeæ clavis distinctæ erant, sed & pœnulæ. D. Eucherius lib.2. ad Salonium : *Pœnula in Apostolo Latinum est; est autem quasi lacerna descendentibus clavis*. Sedulius in Epist.2. Pauli ad Timotheum cap.4. *Pœnula Latinum est, id est, lacerna clavata.* Et pœnulæ clavatæ videntur in veteri pictura, quæ extat in Cœmiterio sanctorum Marcellini & Petri, quam exhibet Bosius in Roma subterranea lib 3. cap. 37. & in alia quæ est in Cœmiterio Priscillæ, apud eumdem Bosium, l.3.c.61.

In Bibliotheca Patrũ T.V, parte 1,



Hæc autem quæ ibi exprimitur vera est forma pœnulæ, quod constat tam ex varijs Auctorum locis, quam antiquis imaginibus, quæ sanctos Patres φαινολίοις suis amictos referunt. Quamvis Ferrarius lib.1. cap. 36. pœ-

nulam a caſula & planeta diſtinguat, eam apertam fuiſſe contendat, & fibula vel in humero vel in cervice necti ſolitam. Sed cum nobis facit Salmaſius ad Ælium Lampridium. Ex hac forma pœnulæ, quam exhibemus, ſatis videmus, cur Cicero Milonem pœnula irretitum dicat. Cur etiam Auctor de cauſis corruptæ eloquentiæ aſſerat, *multum humilitatis eloquentiæ attuliſſe pœnulas iſtas, quibus adſtricti ac veluti incluſi cum iudicibus fabulantur Oratores.* Artemidorus etiam, qui lib. 2. ſcribit cap. 3. Χλαμὺς δὲ ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βηρεῖον καλοῦσι, θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν καὶ τοῖς δικαζομένοις καταδίκην μαντεύεται, διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα. Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὁ λεγόμενος φαινόλης. *Chlamys quam aliqui Mandyam, alij Epheſtridem, alij Bereon vocant, tribulationem & anguſtias, & litigantibus damnationem ſignificat, propterea quod corpus circumplectatur. Idem etiam pœnula ſignificat.* vbi χλαμὺς ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βηρεῖον καλοῦσι, eſt lacerna, quæ eadem fere erat forma, qua pœnula, colore ſolo diſtabat; nuſquam enim obſervavi lacernas clavos habuiſſe. Adhæc lacernæ cucullatæ erant. Martialis:

Si poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas;
Nunc tantum capiti pilea mitto tuo.

Horatius:

Odoratum caput obſcurante lacerna.

Statius:

Cæſis pilea ſuta de lacernis.

Sedulius in 2. Epiſt. D. Pauli ad Timotheum: *Lacerna ſtola, aut genus cucullæ ſubtilis.* Ita & caracallæ, quas lacernis ſimiles fuiſſe Dio tradit, cucullos habebant. D. Hieronymus in Epiſt. ad Fabiolam: *Et efficitur palliolum miræ pulchritudinis, præſtringens fulgore oculos in modum caracallarum, ſed abſque cucullis.*

Vbi

Vbi cum videamus Ephod excepto cucullo caracallam fuisse, facile divinare possumus, quali forma fuerit Ephod. Nempe erat manicatum & breve vestis genus, lateribus scissum, tunicæ illi quam feciales nostri portant, vulgo *cotte d'armes* dictæ, similes. Iosephus lib. 6. ἁλώσεως & lib. 11. antiquit. de Ephod. cui sane convenit Dio in legat. vbi caracallas describit χειριδωτοὺς χιτῶνας ἐς θώρακος τρόπον τινὰ πεποιημένους ἐνδύνεσθαι. Caracalla autem Gallicum vestimenti genus, ut Victor testatur de Antonino Caracallo: cum e Gallia vestem plurimam devexisset, talaresque caracallas fecisset; vnde facilis credo, caracallas esse tunicas illas χιστοὺς χειριδωτοὺς, quas Gallis tribuit Strabo. Martialis Gallicam pallam vocat:

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Pallæ enim & πέπλοι vocabantur omnes tunicæ χιστοὶ, ut alibi latius.

Novè autem Antoninus Severi F. caracallas talares fecit, cum antea Gallicæ caracallæ tantum dimidias nates tegerent, ut Salmasius observavit. Sed & pœnulas cucullos habuisse affirmat Sedulius: *Pœnula est*, inquit, *lacerna in modum cucullæ*. Cui favere videtur Pomponius in Panuceatis apud Nonium: *Pœnulam in caput induce ne te noscat.* Itaque pœnulæ erant vestes cucullatæ fusci coloris cum clavis: lacernæ autem eadem forma erant, sed sine clavis, & varij coloris.

Prætereà hæc differentia fuisse videtur, quod pœnulæ ipsi cucullus adsutus erat; separatus à lacerna autem cucullus erat; sed cum lacerna induebatur simul. Martialis:

Iungere nescisti nobis ô stulte lacernas;
Indueras albas, exue callainas.

Ita explico Festum: *Lacerna quod minus capitio est*, ita laxa

ut pœnula. Plinius capita pœnularum centunculo herbæ comparat. Capita ſunt capitia. Hinc gloſſema eluendum ex Iſidori lib. 19. cap. 24. *Inde autem lacernæ ſunt quaſi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis ut pœnularum.* Delendum *fimbriarum*, quod ex ſuperioribus lineis irrepſit. Inde & apparet, lacernas breviores, nec ita laxas ut pœnulas fuiſſe. Lacernarum formam videre eſt in columna Traiana Ciacconij num. 237. & 244. ubi tam plebi Romanæ quam militibus lacernæ cucullatæ tribuuntur. Cum igitur pœnulæ clavatæ fuerint, forte hinc emendari poteſt locus Velleij Paterculi, qui lib. 2. hiſtor. de Mæcenate ita ſcribit: *Tunc Vrbis cuſtodijs præpoſitus Mæcenas, Equeſtri, ſed ſplendido genere natus, vir, vbi res vigiliam exigeret, ſane exſomnis, providens, atque agendi ſciens; ſimul vero aliquid ex negotio remitti poßet, otio ac mollitijs pene vltra feminam fluens, non minus Agrippa Cæſari carus, ſed minus honoratus. quippe vixit Anguſticlavi pæne contentus, nec maiora conſequi potuit, ſed non concupivit.* Vbi Grammatica poſtulante legunt: *Auguſto clavo pæne contentus.* Quod Lipſius approbat: *Sed*, inquit, *τὸ pæne, an convenit? ille vero planiſſime contentus vixit, nec opus vocula hac imminuente vel ambigente. Magis ad Mæcenatis ingenium, bene contentus, vel plane.* Mihi videtur hic recte legi poſſe: *vixit Auguſticlavia pœnula contentus.* Ita ut Velleius per Auguſticlaviam pœnulam intelligat dignitatem Præfecturæ Vrbis, quæ Equitibus concedebatur. Etenim præfecti Vrbis, ut erant Equites, anguſticlavias veſtes portabant; immo militari habitu utebantur etiam intra Vrbem, nempe abolla, vel chlamyde, vel pœnula. Imperatorum autem ævo Equites pœnulis (quæ clavatæ erant) aut lacernis vtebantur, Xiphilinus

ex Dione: Τοιούτων δ' οὖν τούτων γιγνομένων παρεμυθήσατο ἡμᾶς, ὅτι μέλλων αὖθις μονομαχῆσαι παρήγγειλεν ἡμῖν ἔν τε τῇ στολῇ τῇ ἱππάδι καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν· ὅπερ οὐκ ἄλλως ποιοῦμεν εἰσιόντες εἰς τὸ θέατρον, εἰ μὴ τῶν αὐτοκρατόρων τις μεταλλάξειε. Idem refert de Commodo Lampridius: *Ipse autem prodigium non leve sibi fecit; nam cum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit, & contra consuetudinem pænulatos iussit* * *Senatores, non togatos ad munus convenire, quod funeribus solebat ipse in pullis vestimentis præsidere.* Ego existimo hinc omen sumptum fuisse, quod Senatores posita veste Senatoria, Equestrem sumere iusserit, quod non fiebat nisi in magno & publico luctu. ita Dio lib. 56. post Augusti mortem: Τῇ τε ὑστεραίᾳ βουλὴ ἐγένετο καὶ ἐς αὐτὴν οἱ μὲν ἄλλοι τὴν ἱππάδα στολὴν ἐνδεδυκότες συνῆλθον, οἱ δ' ἄρχοντες τὴν βουλευτικὴν, πλὴν τῶν ἱματίων τῶν περιπορφύρων. *Postridie Senatus habitus est, in eum reliqui Senatores Equestri habitu, magistratus Senatorio habitu, depositis prætextis venerunt.* Videndus P. Faber l. 1. Semestrium c. 2. Sane hanc ἱππάδα στολὴν lacernam aut pœnulam fuisse Herodianus docet lib. 4 de funere Severi: Τῆς δὲ κλίνης ἑκατέρωθεν καθέζονται ἐπὶ πλεῖστον τῆς ἡμέρας, ἐν μὲν τῷ λαιῷ μέρει πᾶσα ἡ σύγκλητος μελαίναις ἐφεστρίσι χρώμενοι. *Circa lectum vero utrimque magnam partem diei sedent, a læva quidem Senatus omnis pullis pœnulis amictus.* Suetonius etiam in Claudio cap. 6. docet, Equites lacernis usos, dum scribit, *Equestrem ordinem Claudio spectaculis advenienti assurgere, & lacernas deponere solitum fuisse.* Aliqui tamen Imperatores veterem togarum usum revocare studuerunt. Ita Hadrianus, Lampridio teste, *iussit Senatores & Equites in publico togatos esse.* Et ante eum Augustus (ut Suetonius refert cap. 40.) *habitum vesti-*

* *Ita lego cum Casaubono,* non Spectatores.

vestitumque pristinum reducere studuit, ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans ait:

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circoque, nisi positis lacernis togatum consistere. Sed aliquis objiciat: Quomodo Mæcenas, qui Augusti tempore vixit, pœnula vsus est, si Augustus usum earum interdixit? sed responderi commode potest, Augustum quidem cives Romanos pœnulis uti noluisse; Mæcenatem autem ab hac lege exemptum fuisse, quia Præfectus Vrbis erat, qui militarem habitum, etiam intra Vrbem, portabat. Iuvenalis:

——Primus, clamante Liburno,
Currite, iam sedit: rapta properabat abolla
Gallicus, attonitæ positus modo villicus urbi.

Quamvis Ferrarius lib. 2. de Re vestiaria cap. 11. contra nitatur, eum tamen satis revincit Cassiodorus lib. 6. Variarum in forma Vicarij vrbis Romæ: *Cap.15.* *Additur, quod nec salutari te sine chlamyde iura voluerunt, scilicet, ut sub veste militari semper visus, numquam crederis esse privatus; sed hæc omnia ad Præfecturæ gloriam iudicamus esse concessa, ut qui tantæ sedis vicarium diceret, umbratile nihil videret.* Pœnulam autem vestem militarem esse, cuivis notum. Cum igitur Mæcenas, utpote Præfectus Vrbis, militari habitu intra Vrbem uteretur, haud iniuria illi probro datum, quod solutis tunicis incederet; cum tamen Iulio Cæsari cinctura objiceretur: sed diversa vtriusque ratio. Cæsar enim, qui Senator erat, cum laticlaviam tunicam cingeret, contra consuetudinem peccabat; laticlavij enim discincti erant, ut ex Quintiliano constat. Mæcenas autem, qui pœnulam aut aliam vestem militarem portabat,

insoli-

insolito more solutis tunicis incedebat. *Omnes enim qui militant, cincti sunt*, ut ait Servius ad 8. Æneidos ad illud, *discinctos mulciber Afros*. Hinc Seneca de Mæcenate Epist. 114. *Non statim hæc cum legeris hoc tibi occurret, hunc esse, qui solutis tunicis in Vrbe semper incesserit? Nam etiam cum absentis partibus Cæsaris fungeretur, signum discincto petebatur.* Sic & Titus Castritius apud [a] Agellium: *Cum discipulos quosdam suos Senatores vidisset die feriato tunicis & lacernis indutos, & Gallicis calceatos: Equidem, inquit, maluissem vos togatos esse; pigitum est cinctos saltem esse & pœnulatos.* Ex quo loco viri docti [b] colligunt, pœnulas olim tam militares quam plebeias cinctas fuisse. haud recte meo iudicio; ut enim ex columna Traiana & picturis antiquis apud Bosium apparet, pœnulæ aut lacernæ non cingebantur, sed tunicæ, quibus illæ superinduebantur. Senatores autem illi apud Gellium tunicæ laticlaviæ discinctæ pœnulam superinduerant, quod Castritio indecorum videtur, atque hinc exclamat: *Pigitum est cinctos saltem esse & pœnulatos*, id est, si vultis pœnulati esse, quare saltem non estis cincti, cùm pœnula, utpote veste militari indutos, cinctos esse conveniat? Atque hanc explicationem apertè confirmat Lex 1. lib. 14. T. 10. Cod. Theod. De habitu quo vti oportet intra Vrbem: *Officiales quoque per quos statuta complentur, ac necessaria peraguntur, uti quidem pœnulis iubemus, verum interiorem vestem admodum cingulis observare.* Ex quo apparet, non pœnulam ipsam, sed interiorem vestem, id est tunicam, cinctam fuisse. Casula etiam cucullum habebat. Vide Greg. Turon. in Vita S. Nicetij t. 6. part. 2. bibl. Patr. f. 625.

a *Lib. 13. c. 20.*

b *Cl. Salmasius in Ælium Lampridium.*

Casula autem idem quod pœnula, ut existimo, dicta per deminutionem a casa, quod totum hominem tegat

quaſi minor caſa, ut Iſidorus ait. Cui etymologiæ favere videtur Philo Iudæus de victimis: αἰγῶν δὲ αἱ τρίχες αἱ δοραὶ συνυφαινόμεναί τε καὶ συρραπτόμεναι φορηταὶ γεγόνασιν ὁδοιπόροις οἰκίαι, καὶ μάλιστα τοῖς ἐν στρατείαις, οὓς ἔξω πόλεως ἐν ὑπαίθρῳ διατρίβειν ἀναγκάζουσιν αἱ χρεῖαι τὰ πολλά. *Caprarum lana, & pelles contextæ & conſutæ, ſunt viatoribus portatiles domus, maxime militibus quos extra urbem ſub dio agere cogunt multæ neceſſitates.*

CAPVT VII.

Ricinia purpura clavata. Turnebi emendatio in Cicerone confirmata. Feſtus explicatus. Differentia clavi & prætexti purpurei. Ricinia duplicari ſolita. Varroni lux. Ricinijs utebantur mulieres Romanæ in adverſis rebus & luctibus. In funere depoſitis ricinijs pullas pallas ſumebant. Duplicatio pallij quid.

NOn poſſum hîc omittere, etiam ricinia purpura clavata fuiſſe, cum hoc ex lege 12. tabularum conſtet, de qua Cicero lib. 2. de Legibus: *Extenuato igitur ſumptu tribus ricinijs & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationes.* vbi cum omnes MSS. præferant: *& vincula purpuræ*, recte meo iudicio Turnebus emendavit, *& clavis purpuræ*; niſi forte melius legi poteſt, *cum clavis purpuræ*; ait enim lex, tria ſolum ricinia purpurata mortuis inijci poſſe: ricinia autem purpura clavata fuiſſe indicat Feſtus. *Ricinium*, inquit, *omne veſtimentum quadratum ij qui 12. interpretati ſunt eſſe dixerunt. Verrius togam, qua mulieres vtebantur, prætextam clavo purpureo. Vnde reciniati mimi planipedes.* Quo loco miror Verrium ita improprie locutum, ut dicat, ricinium clavo purpureo prætextum fuiſſe: etenim magna differentia inter clavum purpu-

purpureum & purpuram prætextam: nisi forte ita explicari possit, quod ricinium clavo purpureo ornatum erat; qui clavus, cum ricinium duplicabatur, purpuræ prætextæ vice fungebatur, quamvis medio ricinij loco purpureus is clavus insertus esset.

Etenim hæc differentia inter clavos purpureos, & prætextum purpuræ, quod hoc quidem intexebatur aut assuebatur κατὰ τὰ ἄκρα, in oris; clavi autem inserebantur κατὰ τὸ μέσον, in medio, ut Basilius ait. Ricinia autem duplicari solita, Varro ostendit lib. 4. de LL. *Ricinium quod eo utebantur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant. Ab reijciendo recinium dictum. Hinc quod facta duo simplicia paria, parilia primo dicta.* Et paulo post: *Lena quod de lana multa: duarum enim togarum instar, ut antiquissimum mulierum ricinium, sic hoc duplex virorum.* Ex quo loco lux affulget alteri Varronis loco, quem Nonius [a] adfert, Ταφῇ μενίππου: *Nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricinio palliolum simplex.* Quem locum, cum satis clarus sit, miror à doctissimo viro [b] dispunctione corrigi. Ait enim Varro: Si ex muliebri ricinio, quod duplex erat, ut iam diximus, aliquis sibi simplex pallium faciat, id non amplius muliebre dici posse. Vtebantur autem ricinijs mulieres Romanæ in adversis rebus & luctibus. Varro [c] de vita populi Romani l. 1. *Et quo mulieres in adversis rebus ac luctibus cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* In funere tamen ipso depositis ricinijs, pullas pallas sumebant. Varro [d] de vita populi Romani lib. 3. *Vt dum supra terram essent, ricinijs lugerent: funere ipso ut pullis pallis amictæ.* Idem eodem libro: [e] *Propinquæ adolescentulæ etiam Anthracinis, proximæ amiculo nigello capillo demisso sequerentur luctum.*

a *V.* Ricinium.

b *Salmasio ad Aurelianum Vopiscum.*

c *Apud Noniũ d. l.*

d *Apud Non. in V.* Pullus.

e *Apud Non. in V.* Anthracinus.

 Quod

Quod autem ricinia aut duplicia pallia in rebus adverſis aut luctibus Romanæ feminæ ſumebant, ex more Athenienſium tractum, penes quos idem mos, ut docet Lycurgus contra Leocratem : qua vero ratione pallia duplicabantur, operæ pretium eſt exponere, ut magnorum virorum certamina hac de re dirimantur.

Fol. 127.

Nam quid fuerit duplicatio Cynici pallij, valde controverſum apud eruditos, ut ait Salmaſius ad c. 5. Tertulliani de Pallio. Ipſe ſuam ſententiam his verbis proponit: *Græcanicum pallium commune utrumque humerum operiebat, ut utrimque regeſtum retrorſum in humeris fibula ſtrictum continebatur; Cynicum verò pallium humero dextro ſubjectum, & in ſiniſtrum conjectum, ante & retro duplicabatur; humerum ſiquidem lævum duplici textu tegebat, & dextrum nudabat cum commune in utroque humero ſimplex ſederet. Quare Cynici, qui duplici pallio utebantur, alterum humerum exertum habebant, alterum duplicato pallij textu coopertum: atque hæc erat duplicatio pallij, quam Crateti quidam, alij Antiſtheni, nonnulli Diogeni adſcripſere, quamque omnes exinde Cynici uſurpaverunt, qui pallio ſolo abſque tunica involvebantur.* Hactenus Salmaſius. Quem pluribus reprehendit Kerkoetius in ſuis animadverſis ad Tertull. de Pallio : ipſe aſſerit Cynicum pallium expanſum longius reliquis duplicatum iſta menſura conſtitiſſe. Quem oppugnat Franciſcus Francus in confut. animadverſ. authent. Kerkoetij. Sed hos motus animorum atque hæc certamina tanta componet ipſe Diogenes, quem exhibeo hic ex veteri numiſmate, quod olim penes Ful. Vrſinum extabat. Ex quo quidem videmus, partem illam pallij, quæ dextrum humerum operire debebat, duplicatam ſub dextro brachio corpus velaſſe.

CAPVT

DIOGENES.



APVD FVLVIVM VRSINVM
In Numismate æreo.

CAPVT VIII.

Tunicæ clavis ornatæ. Aliæ angusticlaviæ, aliæ laticlaviæ. Angusticlaviæ. στενόσημος. Pauper clavus. Glossarium B. Benedicti correctum. ψιλόσημα. Angusticlavia duos tantum clavos habuit, vnum a dextra, alterum a sinistra parte. παραπῆχυ. παραλουργές. παρυφές. Hesychius explicatur. Forma angustorum clavorum. In Dalmaticis vetus angustorum clavorum usus remansit. Dalmaticæ olim clavatæ. quare. Latitudo clavorum arctorum. In feminarum vestibus latiores quam in virilibus. Damascius apud Photium illustratus. Angusticlaviæ tunicæ non distinxerunt Equestrem ordinem à plebeio; sed utrique fuerunt communes. Annuli equestris ordinis insigne. παραλουργεῖς. Non omnis purpura sub Imperatoribus vetita, sed certa species etiam sub posterioribus. Ἁλουργίδες, Thalassinæ. Conchyliatæ vestis color glauco & irascenti mari similis. Tunicæ Romanorum color. Cicero explicatur. Purpura est prætexta. Tribuni plebis non usi sunt prætextis. Aliud togam ad talos, aliud ad calceos dimittere. Tunicæ erant albæ purpureis clavis distinctæ. Aliquæ mellini coloris. Tunica ex lana Appula alba, ex Bætica melina. Melinus color. Togæ color. Lacernas portabant eius coloris, cuius erat factio Circensium, cui favebant. Coniectura in Martiale.

NVNC ad tunicas progrediamur, quas clavis ornari solitas nemo nescit. Varro Modio: *Quam istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos.* Atque aliæ quidem *angusticlaviæ* erant, aliæ *laticlaviæ*; nam de Barbarorum tunicis, quæ pluribus clavis erant distinctæ, iam supra egimus. Primo de angusticlavijs tunicis, deinde de laticlavijs tractabimus. Et angusticlavia quidem tunica Græcis στενόσημος dicitur. Ita in lexico Græco-Latino Cyrilli: στενόσημον, *angusticlavium.* Epictetus apud Arrianum, lib. 1. cap. 24. Λέγει σοι θὲς τὸ πλατύσημον· ἰδοὺ στενόσημος. θὲς δὲ ταύτην. ἰδοὺ ἱμάτιον μόνον·

Apud Nonium in voce Tunica & Vitreum.

θὲς

θὲς τὸ ἱμάτιον. Ὑ' δὲ γυμνός. Præcipit tibi: *Depone latum clavum. Ecce angustus clavus in promptu est. Istum quoque depone. Ecce vestis sola. Depone & vestem. Ecce nudus sum.* Eodem modo Statius *Angustos clavos, arctum lumen purpuræ* vocat:

Contentus arcto lumine purpuræ.

& alibi, *pauperem clavum.*

In Glossario B. Benedicti angusticlavia exponuntur ψειχόσημα. Vbi Bonaventura Vulcanius ψηφόσημα legendum censet. *Recte enim*, inquit, *supra* σημεῖα *interpretatur clavus;* ψῆφους *vero gemmas.* Cuius rationem ego quidem assequi non possum. Cl. Salmasius ad Fl. Vopiscum ψιχόσημα legit, quasi quæ micas tantum purpuræ haberent; nimirum, ut sententiam suam de clavis confirmet, eos nempe fuisse bullas quasdam, aut capita clavorum vestibus intexta. Sed ego non dubito legi debere ψιλόσημα. Sic enim & D. Hieronymus locutus est ad Eustochium Epist. 22. *Purpura tantum in veste tenuis, & laxius ut crines decidant, ligatum caput.* Tom. 1.

Angusticlavias autem tunicas duobus clavis ornatas fuisse, vno a dextra, altero a sinistra parte, qui per vtrumq; humerum descendebant vsque ad infimam tunicæ oram, colligere mihi videor ex Quintiliani loco supra citato l. 11. qui plusquam vnam purpuram seu clavum ijs tribuit: *Cui laticlavi ius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites vsque perveniant; nam infra, mulierũ est; supra, centurionum Vt purpuræ recte descendant, levis cura est; notatur interim negligentia.* Vbi bene admonet Angusticlavios, ut purpuræ eorum recte descendãt. Laticlavij enim hac admonitione non egebant, tum quia vnam tantum purpuram habebant; tum etiam quia non cingebãtur. Apuleius l. 2. Floridorũ: *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam, tenuissimo textu, triplici licio, pur-*

purpura duplici; ipse eã sibi solus domi texuerat. Horat. de Arte:

> *Purpureus late qui splendeat vnus & alter*
> *Assuitur pannus.*

Atque ita forsitan contexta erant indumenta, quæ a Græcis παραπήχυ παραλουργὲς & παρυφὲς appellantur. Hesychius παραπήχυον, ἱμάτιον τὸ παρ' ἑκάτερον μέρος ἔχον πορφύραν. παραπήχυον, *vestimentum ab utraque parte habens purpuram.* Pollux lib. 7. cap. 13. Τὸ δὲ παρυφὲς καὶ παραλουργὲς τὸ ἑκατέρωθεν ἔχον παρυφασμένην πορφύραν. *Vestis quæ dicitur* παρυφὲς *&* παραλουργὲς *utrimque habet clavos purpureos.* Hinc explicandus Hesychius, à quo παραλουργεῖς exponuntur οἱ ἢ τῶν ἔνδοξοι καὶ ἔντιμοι. vbi per παραλουργεῖς augusticlavij, nempe qui pauperem clavum gestabant, vt Statij verbis vtar, intelliguntur.

Et sane in picturis antiquis cœmiteriorum, quas Antonius Bosius exhibet in Roma subterranea, videmus plerumque in tunicis & pœnulis duos clavos ab vtroque humero descendentes. In musivo quoque Triclinij Leoniani, quod Dissertatione historica illustravit Nicolaus Alemannus, in sancti Petri, aliorumque Apostolorum tunicis, similes clavi rubro colore expressi conspiciuntur. Habui quoque dono Nobilissimi & Amplissimi Viri D. Nicolai Rokoxij, Consulis Antuerpiensis, sigillum æreum, nunc furto mihi subreptum, in quo annotavi duos clavos tunicæ immissos, ex illo genere æris quod orichalcũ nunc appellamus, & ab vtroque humero descendentes. Ex ijs quæ diximus, satis firmatum est, ni fallor, tunicis angusticlavijs duos clavos arctos insertos fuisse, eadem fere forma qua versicoloribus vel pictis zonis seu lineis Dalmaticas Diaconorũ nostrorum distingui videmus: in quibus vetus angustorum clavorum mos adhuc remansit. Nam Dalmaticas in prisca Ecclesia clavatas purpura fuisse, ex Isidoro liquet

liquet lib.19. cap. 22 Etymologici: *Dalmatica vestis primum in Dalmatia Provincia Græciæ texta est tunica sacerdotalis candida cum clavis ex purpura.* Alcuinus cap.40.de Celebratione Missæ de Dalmatica : *Habet & coccineas virgulas sanguinem Christi pro salute mundi effusum demonstrantes.* Rabanus Maurus de institutione clericorum cap.19. *Hæc vestis in modum crucis est facta, & passionis Domini indicium est. Habet quoque & purpureos tramites, ipsa tunica a summo usque ad ima ante & retro descendentes, nec non per utramque manicam.* Amalarius de Ecclesiasticis Officijs lib.2.cap.21. *Ipsa Dalmatica duas coccineas lineas habet retro, similiterque in anteriori parte, quia vetus Testamentum & novum rutilant dilectione Dei & proximi.* Honorius Augustodunensis in Gemma animæ lib. 1. cap.212.*Dalmatica duas coccineas lineas ante & retro habet, quia vetus & nova lex dilectione Dei & proximi refulget. Idem tramites purpurei designant sanguinem Christi pro duobus populis effusum.* Ioannes Diaconus lib. 4. de vita S. Gregorij PP. cap. 83. *In altera mater Gregorij sedens depicta est Silvia, candido velamine, a dextro humero taliter contra sinistram revoluto contecta, ut sub eo manus tanquam de planeta subducat, & circa pectus sub gula inferior tunica pseudolactini coloris appareat, quæ magno sinuamine super pectus defluat, duabus zonis ad similitudinem Dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta.* Vbi videmus, quos Isidorus *clavos* in Dalmatica appellat, ab Alcuino & Remigio *virgulas*, ab Amalario & Honorio *lineas*, a Ioanne Diacono *zonas*, a Rabano *tramites* nominari, quemadmodum Tibullus auratos clavos in femineis vestibus *vias* vocat:

Illa gerat vestes tenues quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Et Servius de virgatis Gallorum sagulis: *Quæ habebant in virgarum morem deductas vias.* Rationes autem, quas Patres illi reddunt, quare clavis purpureis Dalmaticæ ornatæ fuerint, quamvis piæ sunt, mihi non probantur. Ego simpliciter credo augusticlaviam Dalmaticam ideo Diaconis datam esse, ut inferiores presbyteris dignitate censerentur, qui latum clavum portant, ut infra dicemus.

Quam lati fuerint clavi tunicæ angusticlaviæ haud facile est definire; pro arbitrio enim aut extendebant, aut restringebant clavos, vt & de lato clavo infra dicemus, quod constat ex picturis veterum. Pauca purpura fuisse videtur in tunica angusticlavia; Arrianus Epictetus Τὸ ὀλίγον ἐκεῖνο καὶ στιλπνόν. Credo tamen feminarum vestes angusticlavias latiores clavos habuisse, quam viriles tunicas. Photius in excerptis Damascij, de vita Isidori: ἐπὶ τῆς κλίνης ἀνακειμένῳ ἐξαπίνης τὴν δίκην ἰδεῖν συνέβη λαμπρὰν κόρην εὔζωνον, κολοβὸν χιτῶνα μελινόχρουν ἀνεζωσμένην πορφυρέοις πλατέσι σημαδίοις κεκοσμημένον. *In lecto iacenti subito Iustitiam videre contigit, splendidam virginem, & formosam, colobium tunicam gerentem melini coloris recinctam, purpureis latis clavis ornatam.* Quamvis autem Casaubonus ad Lampridium arbitretur illic tunicam laticlaviam describi, ego vix id in animum inducere possum; tum quia feminæ non portabant latum clavum; tum etiam quia Damascius hîc plura σημάδια in tunica ponit, cum laticlavia vnum tantum haberet, ut infra latius probabo. Dicit igitur Damascius, tunicam hanc quidem angusticlaviam fuisse, id est, duobus clavis ornatam; sed clavos illos admodum latos fuisse. Ita & Ioannes Diaconus l. 4. de Vita S. Gregorij Papæ, tunicam Silviæ *duabus zonis ad similitudinem Dalmaticarum, sed latioribus omnino distinctam*

fuisse

fuiſſe aſſerit. Ceterum anguſticlavias tunicas Equeſtrem ordinem a plebe diſtinxiſſe, ut latus clavus Senatores ab Equitibus diſcernebat, omnes Antiquarij fere conſentiunt. Ita Aldus Manutius lib.2.de quæſitis per Epiſtolas. Roſinus lib.5.Antiquitatum Roman. cap.33. & alij paſſim; ego tamen exiſtimo nullum diſcrimen inter tunicam Equeſtrem & plebeiam fuiſſe: nam Appianus lib.2. diſerte ſcribit excepta Senatoria veſte cæterum habitum Romæ promiſcuum fuiſſe, τῶν ἐμφυλίων· καὶ ὁ ἐξελεύθερος αὐτοῖς ἰσοπολίτης ἐστὶ καὶ ὁ δουλεύων ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος. Χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς, ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσίν ἐστιν ἐπίκοινος. *Et libertinus par civitatis ius habet, & ſervus habitu dominis ſimilis eſt; præter Senatoriam enim veſtem reliquus veſtitus ſervis eſt communis.* Plinius annulos, non anguſticlaviam tunicam Equeſtris ordinis inſigne fuiſſe affirmat l.33.c.1. *Annuli diſtinxere alterum Ordinem a plebe, ut ſemel cœperant eſſe celebres, ſicut tunica ab annulis Senatum tantum, quamquam & hoc ſero, vulgoque purpura latiore tunicæ vſos invenimus etiam præcones, ſicut patrem L. Ælij Stilonis, Præconini ob id cognominati. Sed annuli plane medium ordinem tertiumque plebi & patribus inſeruere.* Non itaque tunica, ſed annulis a plebe differebant Equites, ut Senatores ab Equitibus tunica Senatoria, qui ab intertexto lato clavo paſſim latus clavus vocatur ab Auctoribus antiquis. Hinc bene ab Heſychio παραλουργεῖς, id eſt anguſticlavij, ut iam diximus, exponuntur οἱ ἧττον ἔνδοξοι καὶ ἔντιμοι. Cum omnes illi, qui non erant Senatorij, Auguſticlavia tunica vterentur. Lampridius in Alexandro: *In animo habuit omnibus officijs genus veſtium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut a veſtitu dignoſcerentur, & omnibus ſervis, vt in populo poſſent agnoſci, ne quis ſeditioſus*

eſſet;

esset; simul, ne servi ingenuis miscerentur. Sed hoc Vlpiano Paulloque displicuit, dicentibus plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad iniurias. Tum satis eße constituit, vt Equites Romani a Senatoribus clavi qualitate discernerentur. Ex quo constat solos Senatores ab Equitibus distinctos fuisse veste; Equites vero ne a servis quidem illo tempore habitu diversos fuisse, quod & ex Appiani loco modo laudato apparet. Per στολὴν autem ἱππάδα, Equestrem vestem, quam Senatores togis depositis in luctu sumpsisse Dio tradit, *lacernam* intellexisse puto: ijs enim in luctu vsos esse Senatores [a] supra ostendi. Sed hæc quæ de promiscuo clavorum purpureorum usu diximus facile corruunt, si viris [b] doctis fides, qui purpuræ vsum, privatis omnibus interdictum fuisse sub Imperatoribus tradunt. Sed mihi videtur non omnem purpuræ vsum sed certas tantum species vetitas fuisse. Ita Iulius Cæsar [c] *Lecticarum vsum, item conchyliatæ vestis & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies ademit.* Et Octavius teste Dione lib. 149. τήν τε ἐσθῆτα τὴν ἁλουργῆ μηδένα ἄλλον ἔξω τῶν βουλευτῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὄντων ἐνδύεσθαι ἐκέλευσεν. ἤδη γὰρ τινὲς καὶ τῶν τυχόντων αὐτῇ ἐχρῶντο. *Vestis conchyliatæ vsum nulli nisi Senatoribus Magistratum gerentibus concessit. Tum enim & quidam plebeiorum illa vtebantur.* ἁλουργίδες autẽ non omnes vestes purpureæ dicuntur, sed Thalassinæ, sive ἁλιπόρφυρα ἱμάτια. Ita in Artemidoro ἁλουργίδες a purpureis vestibus distinguuntur. Sic etiam apud Persas ὁ δὲ κάνδυς ὁ μὲν βασιλειος ἁλιπόρφυρος, ὁ δὲ τῶν ἄλλων πορφυροῦς: *Regia vestis, quæ Candys dicitur, erat conchyliata, aliorum purpurea.* ut Iulius Pollux ait: dicebatur autem ἁλουργίς a colore, ut idem Pollux tradit. Hinc existimo ἁλουργίδα proprie vocari a Græcis conchyliatam vestem, cui color austerus in glauco,

[a] *Cap.* 6.

[b] *Pancirol. Cuiacius lib.* 12. *Obs.c.* 24. *Salmasius in Flav. Vopiscum. Lindenbrogius ad Ammianum.*

[c] *Suetonius in Iulio cap.* 43.

co,

co, & iraſcenti ſimilis mari, ut Plinius ait. Sic Etymologicon ἁλουργὶς ἡ ἀπὸ θαλασσίου κόχλου γινομένη καὶ ἐργαζομένη. Ἁλουργὶς, *quæ ex marino conchylio fit & paratur*. Hinc apparet, Iulium & Auguſtum non omnem purpuræ uſum Romano populo ademiſſe, ſed tantum τὴν ἐσθῆτα τὴν ἁλουργῆ, ſive conchyliatam. Sed hæ leges ſtatim obliteratæ fuerunt; nam cum ſub Tiberio multi ἐσθῆτι ἁλουργεῖ vterentur, quamquam vetitum id eſſet iam pridem, id neque reprehendit in quoquam Tiberius, neque mulctauit, tantum ludis, cum plueret, nulla ipſe pœnula indutus effecit, ne quis etiam alius veſtem inconceſſam vſurparet, teſte Dione lib. 57. Nero rurſus certas ſpecies purpuræ, Amethyſtini nempe ac Tyrij coloris, interdixit: quin etiam inter canendum animadverſam matronam e ſpectaculis vetita purpura cultam demonſtraſſe procuratoribus ſuis creditur, detractamque illico non veſte modo, ſed & bonis exuit, teſte Suetonio. Ita & ſub Imperatoribus poſterioris ævi non omnis purpuræ vſus prohibitus fuit, ſed ſolummodo certæ ſpecies, ut in L. 1. C. quæ res venire non poſſint, præcipue autem τὰ ἁλουργῆ ſive conchyliata, quæ ſoli Principi eiuſque domui dedicabantur. L. 4. C. de veſtibus Holoveris. Videnda etiam nouella 80. Leonis Auguſti.

Lib. 9. cap. 36.

Ex his quæ diximus, facile ſoluitur quæſtio, quæ inter eruditos viros agitatur, quo colore nempe tunicæ Romanorum fuerint. Aldus enim lib. 2. de quæſitis per epiſtolas c. 2. purpureas eas fuiſſe contendit. Aldo etiam aſſentitur Nicolaus Abramus in Milonianam Ciceronis §. 43. num 5. Ciceronis auctoritate permotus, ut ait, in Cluentiana de Quintio Tribuno plebis ita loquentis: *Facile, ut non ſolum mores eius & arrogantiam, ſed etiam vultum atque amictum, atque illam vſque ad talos demiſſam purpuram*

 recor-

recordemini; quod sine dubio, inquit, de tunica intelligendum; nam de toga prætexta non potest, tum quod probrum esset togam ad talos demittere, saltem ævo Ciceronis; tum maxime quod Tribuni plebis toga prætexta non uterentur, ut ex Plutarcho constat.

Sed nihilominus hæc Ciceronis verba de prætexta capienda sunt, ut ex Quintiliano apparet, qui lib. 5. *Vita etiam vultus, denique incessus habitus recte incusari solet, ut adversus Quintium Cicero non hæc solum, sed ipsam etiam prætextam demissam ad talos insectatus est.* Quod recte observavit Octavius Ferrarius lib. 2. de Re vestiaria cap. 3. Sed male idem Plutarchum accusat, & ex hoc loco Tribunos plebis prætextatos fuisse astruit. Nam haud solum Plutarchus, sed & ipse Cicero Tribunos plebis haudquaquam prætextam gestasse ostendit in interrogatione contra Vatinium: *Sic enim ex te quæro: Tribunus plebis fuisti? Seiunge te a Consule. Collegas habuisti viros forteis novem, ex his tres erant, quos tu quotidie dicebas de cælo servare, quos irridebas, quos privatos esse dicebas, de quibus duos prætextatos sedentes vides, te æditiam prætextam togam, quam frustra confeceras, vendidisse.* Igitur Tribuni plebis non prætextati erant, sed sæpe exacto tribunatu prætextati fiebant, cum ad ædilitatem vel præturam, abrogata iam Sullæ lege, ascendebant; atque ita explico Ciceronem de Quintio, quem ait in tribunatu cuidam hominum generi paulisper iucundiorem fuisse, sed deinde cum nempe magistratum adeptus erat, odio etiam suis illis ipsis fuisse, per quos in altiorem locum ascenderat, ob arrogantiam nempe, & demissam ad talos purpuram. Aliud etiam est togam ad talos demittere, aliud ad calceos; nam calcei Senatorum alti erant, & ad medium

dium crus perueniebant. Contra ea Lipsius lib.1. Electorum cap.13. albas fuisse tunicas asserit. Horum opiniones facile in concordiam redigi possunt. Albæ enim erant, sed purpureis signis distinctæ; Senatorum quidem lato clavo, Equitum vero & plebeiorum angustis clavis; vnde Plinius lib.9. cap.36. de purpura: *Distinguit ab Equite curiam, dijs advocatur placandis, omnemque vestem illuminat.* Sed non semper tamen tunicæ plane albæ erant; invenio enim & melini coloris aliquas fuisse. Photius in excerptis de vita Isidori de iustitia, quam Senatoria tunica induit: ἐπὶ τῆς κλίνης ἀνακειμένῳ ἐξαπίνης τὴν Δίκην ἰδεῖν συνέβη λαμπρὰν κόρην εὔζωνον, κολοβὸν χιτῶνα μελινόχρουν ἀνεζωσμένην πορφυρέοις πλατέσι σημαδίοις κεκοσμημένον. *In lecto iacenti subito Iustitiam ei videre contigit illustrem virginem & formosam, indutam colobio tunica melini coloris recinctam, purpureis latis clavis ornatam.* Nec enim assentior Bulengero, qui μιλτινόχρουν legit, lib. de veste Pontif. cap. 22. Cum enim Romani in patria veste natiuo lanæ colore uterentur, tunicæ quidem ex alba lana Appula aut Altina textæ, albæ erant; quæ vero ex Bætica lana textæ erant, melinæ erant. Lana enim illa aurea erat, & rutila, ut Plinius & Martialis testantur: melinus autem color qualis in malis Cydonijs visitur, a quibus nomen sumpsit, ut & melinum oleum & melinum unguentum, non vero a melino pigmento, nec ab alijs malis, quæ matura a sole rubescunt, ut Salmasius [a] existimat, qui etiam male luteum & melinum confundit; melinus enim erat medius inter flavum & album, & pallide aureus. Magna etiam controversia est inter viros doctos de colore togæ, quem quidam purpureum fuisse ostendit: Lipsius & Sigonius album; sed Octavius Panagathus [b] censebat e quatuor illis colorum generibus

a *In exercitat. Plinianis.*

b *Apud Ant. Augustinum Dialogo 2. Antiquit.*

ribus

ribus fuisse, quibus Circensibus in ludis currentes utebantur factiones, albo, rufo, prasino, & veneto. Cuius opinio ut de toga nequaquam subsistit, quæ alba sine dubio erat, ut Lipsius existimat, ita facile credo illos qui factionibus Circensium favebant, lacernas portasse eius coloris cui addicti erant, quod Martialis videtur indicare in Epigrammat. 121. l. 14. cuius lemma est *Lacernæ coccineæ.*

Si veneto prasinoque faves qui coccina sumis;
*Ne fias ista transfuga * sorte vide.*

* forsan legendum *veste*

CAPVT IX.

Matronæ etiam tunicas angusticlavias portarunt. Regilla tunica purpura distincta. Varro emendatus. Regilla alba erat & recta. Recta tunica. Ἄῤῥαφος χιτών. *Hesychius vindicatus.* ὁ μὴ ῥαφαῖς συνειλημμένος χιτών. *Tunicæ mulierum fibulis constringebantur. Tunicæ viriles non erant apertæ, nec fibulis adstrictæ. Tunica inconsutilis ex una tela contexta erat. Talis tunica talaris Pontificum.* Ὀρθοστάδιοι χιτῶνες. *Hesychius vindicatus. Quomodo tunicæ inconsutiles textæ.*

NVNC videndum, an etiam matronæ Romanæ tunicas angustis clavis ex purpura ornatas portabant, quod extra dubium est; cum etiam virgines Deo devotæ aliquantulum purpuræ tunicæ insertum gestarent, quod Hieronymus testatur Epist. 22. ad Eustochium: *purpura,* inquit, *tantum in veste tenuis.* Sed de his latius infra. Cæteræ illustriores quamvis ut plurimum auro clavatis tunicis uterentur; tamen etiam sæpe purpuratis vestibus insignes erant: & regillam quidem tunicam quam fæminæ portabant, ut ex Plauto constat, purpura distinctam fuisse, mihi colligere videor ex Varronis versu, qui corrupte legitur apud No-

Nonium cap. 14. *Regilla, inquit, vestis diminutive a Regia ficta, ut & Basilica. Plautus Epidico: An Regillam tuniculam induam an mendiculam.*

Varro παπιαπάππα περὶ ἐγκωμίων

Collum procerum fictum levi marmore:

Regillam tunicam diffingitur purpura.

Ex quibus verbis nemo bonum ſenſum elicere poterit; vnde exiſtimo legendum eſſe:

Regilla tunica purpura diffinditur:

Id eſt, Regilla tunica purpura, clavis purpureis diſtinguitur, ſive interſecatur. Tunica autem regilla alba erat & recta. Ita Feſtus: *Regillis tunicis albis, & reticulis luteis, vtriſque rectis, textis ſurſum verſum a ſtantibus, pridie nuptiarum virgines indutæ cubitum ibant.* In his tunicis rectis, quæ ſurſum verſum a ſtantibus texebantur, varie ſudant eruditi. Optime hanc texturæ rationem explicat Salmaſius in Fl. Vopiſcum. Recta autem tunica, ut bene annotat Scaliger ad Feſtum, erat ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Atque hoc texturæ genere texta erat tunica Domini noſtri de qua Euangeliſta: ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνωθεν, ὑφαντὸς δι' ὅλου. Sed quomodo tunica hæc eſſet ἄῤῥαφος contra omnium doctorum ſententiam definit Salmaſius dicto loco, cui non accedo. Ait enim, ἄῤῥαφον χιτῶνα eſſe tunicam, quæ circa latera concluſa eſt & acu conſuta, cui opponit τοὺς χιτοὺς, id eſt tunicas quæ circa latera apertæ erant, & fibulis adſtrictæ. Etiam corrigit locum Heſychij vbi legitur σύμπορπον τὸν μὴ ῥαφαῖς συνειλημμένον καὶ τοὺς ὤμους χιτῶνα; negativam enim tollit & legit τὸν ῥαφαῖς συνειλημμένον, id eſt, ut exponit, fibulis adſtrictam. Sed bene habet Heſychius: tunicam enim non conſutam vocat τὸν μὴ ῥαφαῖς συνειλημμένον χιτῶνα. conſtringebant eam

fibulis, ut ex ſtatuis apparet, vbi ſæpe mulierum tunicas ita fibulatas videmus. Vide Philippum Rubenium lib. 2. Electorum cap. 20. Viriles autem tunicæ haudquaquam apertæ erant circa latera, & fibulis adſtrictæ, ſed conſutæ & ῥαφαῖς συνειλημμένοι. Quod ex Suetonio ſatis conſtat in Auguſto cap. 44. *Sumenti virilem togam tunica laticlavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidit*; nec enim mihi perſuadebit Salmaſius, qui *reſutam* hic exponit *refibulatam nodis ſcilicet ſolutis, quibus tenebatur in humeris ex utraque parte. χιτὼν enim fuit*, inquit, *illa laticlavi tunica*. Cui ſane cras credam, hodie nihil. Nec etiam vſquam vidi ſtatuas togatas, qui tunicas apertas habent. Addit præterea ἀκεστικὴν apud veteres: ὑφαντικῆς εἶδος εἶναι. unde ὕφαντος δι' ὅλου tunica dicitur quæ nullas ſciſſuras habeat. Plato tamen in Politico apertè ἀκεστικὴν ab ὑφαντικῇ diſtinguit. Prætereà tunica inconſutilis ſive ἄῤῥαφος nec fibulis nec ſuturis cohærebat: etenim haudquaquam ex duabus plagulis inter ſe conſutis compoſita, ſed ex vna tela contexta erat, nec vllas ſuturas circa humeros aut latera habebat, Talis erat tunica talaris Pontificum Hebræorum, de qua Ioſephus lib. 3. Antiquitatum cap. 8. ἔστι δ' ὁ χιτὼν οὗτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων, ὥς τε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι καὶ τὴν παρὰ πλευράν. φᾶρος δ' ἐν ἐπιμήκει ὑφασμένον. *Hæc tunica non conſtat e duabus plagulis, ut ſuturas habeat in humeris ac lateribus. Eſt vero tela in longitudinem texta.* Qui locus ſolus ſatis deſtruit opinionem Salmaſij: erat enim illa tunica non a lateribus aperta, ſed ſolummodo circa capitium, & illic qua manus exerebantur. Vnde Philo Iudæus ſermone 2. de Monarchia appellat ἔνδυμα περιφερὲς ὅλον δι' ὅλων ὑακίνθινον. *Veſtimentum rotundum totum vndique hyacinthinum.* Et Ioſephus de captivitate l. 6. στρόγγυλον ἔνδυμα *ve-*

ſtem

ſtem rotundam. Talis erat & tunica Domini noſtri ἄῤῥαφος, & Rectæ tyronum, & Regillæ ſponſarum, & ὀρθοστάδιοι Græcorum. Clare id Heſychius: ὀρθοστάδιοι χιτῶνες, οἱ στατοὶ, ὑπόκομμα οὐκ ἔχοντες. Qui locus per ſe ſatis facilis, varijs interpretum explicationibus difficilis redditus eſt. Quidam enim per ὑπόκομμα capitium exponunt, ſive locum quo caput exerendum erat, & legunt ſublata negativa ὑπόκομμα ἔχοντες. Alij ὑπόκομμα dicunt eſſe præcincturæ locum, quod illæ tunicæ in loco cincturæ eſſent interciſæ, & partes inferiores ſuperioribus eſſent adſutæ, qui eodem modo ſine negativa hunc locum legunt. Salmaſius metaphoram eſſe ait ab inſectis animalculis, quæ ab ea parte qua inſectionem habent, graciliora ſunt. Vide eum, ſi placet, in notis ad pallium Tertulliani. Mihi videtur ſatis clarus Heſychij locus ex ijs quæ ſupra diximus. Cum enim aliæ tunicæ circa humeros & latera conſutæ eſſent; ex duabus enim plagulis conſutis inter ſe compoſitæ erant; tunicæ rectæ & ὀρθοστάδιοι χιτῶνες nullam inciſuram aut ὑπόκομμα habebant, inconſutiles enim erant. Quomodo autem hæ tunicæ inconſutiles texebantur, indicat Divus I. Chryſoſtomus Homilia 84. in Ioannem: ἐν παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες οὕτως ὑφαίνουσι τὰ ἱμάτια. *In Palæſtina duos pannos committunt, ſic texunt veſtes.* Et clarius Theophylactus in cap. 18. Ioannis: ἐν τῇ παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες ἤτοι δύο πανία ὑφαίνουσι, τὰ ἱμάτια ἀντὶ ῥαφῆς χρώμενοι τῷ συνυφασμῷ. *In Palæſtina duos pannos committentes texunt veſtimenta, pro ſutura contextu utentes.* Duas igitur plagulas haud acu coniungebant, ſed textura. Theophanes Cerameus Homil. in Paſſionem Domini 27. f. 209. Ἄῤῥαφος δὲ ἦν ἐκ τοῦ ἄνωθεν ἐπειδὴ τοῖς μὲν Γαλιλαίοις σύνηθες ἦν τοὺς χιτῶνας ποιεῖν δυσὶ φαρσίοις ἄνωθεν κατὰ τὸν ὦμον συνεζευγμένας ῥαφῇ.

Nunneſius in Phrynichũ f. 47.

τὸ δὲ χιτῶνα τοῦτον ἓν ὕφασμα δεῖ λαμβάνειν ἄῤῥαφον. *Inconſutilis porro ſuperne erat, quoniam mos Galilæis erat tunicas ex laciniis duabus conficere in humeris ſutura commiſſis. Hanc vero tunicam oportet intelligere uno contextu fuiſſe, nullaque commiſſura compactam.* Receptæ opinioni, cui Ferrarius accedit, eam textam fuiſſe non quidem in tela, ſed per acus longiores, ut ſubucula & tibialia nunc reticulatim conficiuntur, obſtat quod artificium hoc texendi veteribus fuit incognitum, nec vſquam eius mentio apud Auctores. Inuenienda igitur alia ratio texendi, qua hæc & Pontificum tunica in orbem texta fuerit ἀῤῥάφως.

CAPVT X.

Græcæ mulieres tunicis anguſticlaviis vſæ, ſed tantum lautiores. Apud Syracuſanos meretrices ſolum. Etiam viriles Græcorum tunicæ purpura clavatæ. Παρυφῆ διαφανῆ. Ταραντινίδια. *Viliorum tunicæ apud Græcos albis clavis diſtinctæ.* Λευκοπαρυφὸς. *Carthaginenſes tunicas purpura clavatas portarunt. An pallia Græcorum clavata?* Σημεῖα *in palliis non clavi, ſed litteræ.* Γάμμα. *Variæ litteræ palliorum laciniis inſertæ. Primariam patriæ ſuæ litteram in clypeis præferebant.* Παράσημα. Σφραγῖδες. *Nomina propria palliorum oris inſcripta. Teſſeræ palliorum.* Κύκλος. *Orbiculi in palliis. Sub ultimi ævi temporibus veſtibus litteras inſcripſerunt Græci.* Μαργέλλια. ῥάμματα. ἀντίπανα. Γράμματα. *Grammaticis gruma.*

EGo exiſtimo etiam Græcis in vſu fuiſſe tunicas anguſticlavis ornatas: & de muliebribus tunicis id quidem certum eſt, cum Ariſtophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις inter ornatum muliebrem recenſeat τὸ παρυφές. Locus exſtat apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Pædag. cap. 12. & Iulium Pollucem lib. 7. cap.

cap.22. Sed non nisi lautiores feminas τὰ παρυφῆ portasse, constat ex Plutarcho de Genio Socratis, apud quem Caphisias: σοὶ δὲ ὦ πάτερ Μιλησίαν χλαμύδα, τῇ δὲ μητρὶ περιαλουργὸν ὠνησόμεθα χιτώνιον. Ἄπαγε, εἶπεν ὁ πατὴρ, ὦ παῖ μηδέποτε τοιαύτην ἐπίδοιμι μετακόσμησιν τοῦ βίου ἡμῶν. *Tibi pater Milesiam chlamydem, matri vero clavatam emamus tunicam. Apage, respondit pater, numquam fili talem vitæ videam mutationem.* Apud Syracusanos vero, ut iam supra diximus, lege sancitum erat, ne feminæ portarent vestes πορφυρᾶς ἐχούσας παρυφὰς, nisi quæ se meretrices esse profitebantur, quam legem illi videntur sumpsisse a Lacedæmonijs, de quorum hac in re institutis vide Cragium de Republica Laconica lib.3 tabula 6. institut.10. Nec solum muliebres tunicas, sed etiam viriles, apud Græcos sæpe purpura clavatas fuisse docet Apuleius lib. 2. Florid. de Hippia: *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam tenuissimo textu, triplici licio, purpura duplici.* Sed obstare videtur Clearchus, qui de Tarentinis scribit: ἐφόρουν δὲ παρυφῆ διαφανῆ οἷς νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος. *Portabant vestes clavatas pellucidas, quibus mulieres delicatæ nunc utuntur.* vbi videtur innuere Tarentinos τὰ παρυφῆ portasse. quæ solum feminis decora erant; sed non ibi Tarentinis probro dat τὰ παρυφῆ, sed τὰ παρυφῆ διαφανῆ; pellucidæ enim vestes semper parum viriles existimatæ sunt, ut apud Iuuenalem

Cretice pelluces.

Ita & Diodorus lib. 36. de Iuventute Romana: ἀκολούθως δὲ τούτοις οἱ νέοι κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐφόρουν ἐσθῆτας διαφόρους μὲν τῇ μαλακότητι. Διαφανεῖς δὲ καὶ κατὰ τὴν λεπτότητα ταῖς γυναικείαις παρεμφερεῖς. *Præterea iuvenes in foro vestes gestabant ex mollissima lana, tenues ac pellucidas, prorsusque muliebribus stolis persimiles.* hæc autem παρυφῆ διαφανῆ Tarentinorum: ταραντινίδια vocabant.

Fol. 587.

In excerptis ab H. Valesio editis.

bant. Suidas ταραντινίδιον λεπτὸν καὶ διαφανὲς ἱμάτιον οὐ πάντως πορφυροῦν ὥς τινες ὑπέλαβον. Et pollux lib. 7. cap. 17. καὶ μὴν τό γε ταραντινίδιον διαφανές ἐστιν ἔνδυμα, ὠνομασμένον ἀπὸ τῆς ταραντίνων χρήσεως καὶ τρυφῆς.

Quod autem diximus Græcos purpura clavatas tunicas portasse, id de ditioribus intelligendum est; aliorum enim tunicæ albis clavis distinctæ erant. Hinc Alexander, referente Plutarcho : ἐπαινούντων ἐνίων τοῦ Ἀντιπάτρου τὴν εὐτέλειαν ὡς ἀθρύπτως διαιτωμένου καὶ αὐστηρῶς, ἔξωθεν εἶπεν Ἀντίπατρος λευκοπαρυφός ἐστι, τὰ δὲ ἔνδον ὁλοπόρφυρος. *Quibusdam Antipatri frugalitatem laudantibus, quippe qui dure aspereque viueret : Antipater quidem, inquit, extrinsecus vestes habet albis clavis ornatas, intus vero totus purpureus est.* Vbi male quidã Leucoparyphum exponunt albis indutum vestibus. Veteres & Carthaginenses tunicas purpura clavatas portasse testis Tertullianus de pallio cap.1. *Tamen & vobis habitus aliter olim tunicæ fuere, & quidem in famam de subteminis studio, & luminis concilio, & mensuræ temperamento.* Vbi luminis concilium, ut bene Salmasius emendat & explicat, est conciliamentum coloris vnius & alterius clavi. Alia quæstio est, an pallia Græcorum clavata fuerint. Quod affirmari posse videtur ex Athenæo, qui lib. 5. scribit : Ἀθηνίων εἰς Ἀθήνας ἐπ' ἀργυρόποδος κατακομίζεται φορείου, καὶ πορφυρῶν στρωμάτων, ὁ μηδέ ποτε ἐπὶ τοῦ τρίβωνος ἑωρακὼς πορφύραν πρότερον. *Athenio in purpureis stragulis, sella pedibus argenteis subnixa Athenas portabatur, qui prius pannoso tritoque pallio vestitus purpuram numquam viderat.* Ad quem locum Casaubonus: *Mediocris conditionis homines purpureo clavo (Græci vocant σημεῖον) vestem ornabant, aut instita purpura prætexebant; hoc igitur indignatur Athenæus, hominem, qui numquam fuerit παραπόρφυρος, factum repente* ὁλοπόρφυρον. Vbi male, ut alij, clavos

In Apophthegmatis.

Lib. 5. animad c. 13.

vos veſtium cum purpura prætexta confundit, quemadmodum ſupra demonſtravimus. Deinde ego credo σημεῖα illa quæ pallijs intexebantur, non fuiſſe clavos quales deſcripſimus, ſed litteras lacinijs palliorũ inſertas: ita Suidas ξιβωνοφόρος ὁ φορῶν ςολὴν ἔχουσαν σημεῖα ὡς γραμμάτα; ξιβωνοφόρος *eſt gerens ſtolam habentem ſigna, ut litteras.* vbi Meurſius in Lexico Græco-barb. in voce γάμμα legendum cenſet γαμμάτα, cui facile aſſentior; ſic enim & Heſychius: ξίβων ςολὴ ἔχουσα σημεῖα ὡς γάμμα. Scio tamen non ſolum γάμματα, ſed etiam alias litteras pallijs intexi ſolitas, ut obſervari poteſt in picturis veterum cœmiteriorum, quas exhibet Boſius in Roma ſubterranea, vbi ſæpe I litteram, aliquando τὸ H; ſæpe Υ, aut X, aut alias litteras lacinijs palliorum intextas videmus, ut & in Muſivo Triclinij Leoniani, in pallio D. Petri τὸ L, in aliorum pallijs aliæ litteræ rubro colore ſcriptæ ſunt. Ita Boëtius lib. 1. de Conſol. de veſtibus Philoſophiæ: *Harum in extremo margine* Π, *in ſupremo vero* θ *legebatur intextum, atque inter utraſque litteras in ſcalarum modum gradus quidam inſigniti videbantur, quibus ab inferiore elemento ad ſuperius eßet adſcenſus.* Vnde aliquis haud abſurde ſuſpicari poſſet Græcis in vſu fuiſſe, ſigla aut monogrammatia patriæ aut gentis ſuæ tamquam inſigne pallijs intexere, ut in bello & clypeis ſuis primariam patriæ ſuæ literam præferebant, quod ex Xenophonte conſtat lib. 4. Hiſt. Græcæ. Hinc Heſychius has notas palliorum παράσημα vocat; σάμεια inquit, τὰ ἐν τοῖς ὤαις τῶν ἱματίων παράσημα. Eædem appellabantur σφραγίδες. Idem Heſychius σφραγίδες αἱ ἐπὶ τῶν δακτυλίων; καὶ τὰ τῶν ἱματίων σημεῖα. Sic enim & ſigna quæ pecorum armis inuri ſolebant, σφραγίδες vocantur: & D. Chryſoſtomus σφραγῖδα appellat litteras Imperatoris nomen referentes, quibus milites ſigna-

ſignabantur, Homilia 3. in 11. ad Corinthios : καθάπερ γὰρ στρατιώταις σφραγὶς οὕτω καὶ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται. *Sicut militibus ſignum Imperatoris, ſic & fidelibus ſpiritus imponitur.*

Sed ut hæc quæ diximus mera coniectura nituntur, ita illud certum, aliquos nomen proprium palliorum oris inſcripſiſſe. Vopiſcus in Carino : *Inſcriptum eſt adhuc in choraulæ pallio Tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meßallæ nomen & vxoris.* Plinius lib. 35. cap. 9. de Zeuxi: *Opes quoque tantas acquiſivit, ut in oſtentatione earum olympiæ aureis litteris in palliorum teſſeris intextum nomen ſuum oſtentarit.* Vbi teſſeras appellat palliorum quadratas tabellas pallijs intextas, quibus litteræ nomen referentes, inſcriptæ erant. Sic & Salaminij, Heſychio teſte κύβον vocant τὸ τοῦ ἱματίου σημεῖον. aliquando etiam non in quadratis ſigillis, ſed in orbiculis nomen deſcribebatur. Anaſtaſius in Leone IV. *Atque ſuper ipſum altare fecit veſtem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, & in dextra lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis, quibus inſigne ipſius præſulis nomen eſt deſcriptum.*

Ita & ſub vltimi ævi Imperatoribus Græculi videntur veſtes litteris inſcriptas portaſſe. Balſamon in Canonem 27. Synodi 6. in Trullo: ἀνοίκειος δὲ τῷ κληρικῷ στολή ἐστιν, οὐχὶ τὰ τῶν στρατιωτῶν ἐνδύματα. ταῦτα γὰρ εἴποτέ τις κληρικὸς ἐνδυθῇ μεγάλως κολασθήσεται, ἀλλὰ τὰ πολυτελῆ χρυσοῦφαντα ἐπιβλήματα, τὰ δημοτικῶς λεγόμενα μαργέλλια, γράμματα καὶ ἀντίπανα, καὶ τὰ ἐκ κογχύλης πορφυρίζοντα ἱμάτια. niſi forte cum Cl. Salmaſio in Fl. Vopiſcum f. 406. ῥάμματα legendum, qui hæc tria μαργέλλια, ῥάμματα, & ἀντίπανα, idem eſſe contendit. Diſtinguit tamen hæc Balſamon in 16. Canone Synodi 7. in Trullo: αἰτιωμένων δὲ τῶν λαμπρειμονούντων κληρικῶν διὰ ἱματίων λεγομένων

ἐξανί-

ἐξαμίτων ἐχόντων οὐ μόνον ἑτερόχροα ἀντίπανα, ἀλλὰ καὶ χρυσόπαστα, πρὸς δὲ καὶ γράμματα πολυτελῆ χρυσᾶ, εἶπόν τινες τὸν κανόνα ἐκφωνηθῆναι διὰ τὴν τότε οὖσαν ἀταξίαν εἰς τὰς ἐκκλησίας, &c. Sed exiſtimo γράμματα eſſe lineas ſive lora aurea. Ita grammatias gruma vocatur, quæ linea alba tranſverſa præcingitur, ut Plinius ait.

CAPVT XI.

Πλατύσημος. πλατυπόρφυρα ἱμάτια. *Lata purpura. Maior purpura. Laticlavium. Lati clavi deſcriptio.* κολωβίων. *Laticlavia unum tantum clavum habuit. Varro emendatus. Latus clavus in media tunicæ parte.* μεσοπόρφυρος. μεσόλευκος χιτών. *Latitudo clavi lati. Modeſtiam affectantes arctiore utebantur. Alexander & Severus non anguſticlavias portarunt. Laticlavia arctum clavum: anguſticlavia latos clavos habere poterat. Ambitioſi purpuram ſuam extendebant.* φυλακτήρια. *Lati clavi menſura ordinaria palmi latitudo. Tunica palmata.*

EXplicatis omnibus quæ ad anguſtos clavos pertinent, nunc ad latum clavum progrediamur, quem Græci ſemper πλατύσημον vocant. Ita in Gloſſario *latus clavus* πλατύσημος, & Strabo lib. 3. ubi de Balearibus agit, Herodianus lib. 3. Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 24. Diodorus Siculus in Eclogis lib. 36. Memnon in excerptis apud Photium circa finem ferè, & alij. Archippus apud Pollucem lib. 7. cap. 14. laticlavias veſtes πλατυπόρφυρα ἱμάτια vocat. Sic & in Sibyllinis oraculis lib. 8.

Καὶ τότε πενθήσεις πλατυπόρφυρον ἡγεμονήων
Φῶς ἐκδυσαμένη καὶ πένθιμον αἷμα φοροῦσα.

Et tunc dolebis quum laticlavium ducum lumen exueris & triſtem cruorem geſſeris. Ita & Latini *latam purpuram* vocant clavum latum in veſte; Plinius lib. 33. cap. 1. *Vulgoque*

purpura latiore tunicæ uſos invenimus etiam præcones. Et Tertullianus de pallio cap. 4. *Cùm latioris purpuræ ambitio & glatici ruboris ſuperiectio Saturnum commendat.* Iuvenalis maiorem purpuram appellat Satyra 1.

——Quid confert purpura maior
Optandum.

Vbi bene vetus Scholiaſtes *laticlavium* exponit. Veſtimenta laticlavia etiam μεσοπόρφυρα dicuntur apud Iſaiam cap. 3. ut infra latius explicabimus. Gloſſæ veteres in Perſium Sat. 1. laticlaviam tunicam *purpureum veſtimentum* fuiſſe aſſerunt. Rectius ſane ſi *purpuratum* dixiſſent, ut Chariſius, *hic clavus id eſt impurpurata veſtis*, id eſt, ἐμπόρφυρος ἐσθὴς ἢ ἔνηλος. Vetus commentator Horatij a Crucquio editus ad Sat. 5. l. 1. ita deſcribit: *Latus clavus colobion Græce, dicebatur veſtis quæ ad pectus Magiſtratuum extendebatur in formam lati clavi.* Sed optime omnium Acro ad illud ex Satyra 5. lib. 1. *Prætextam & latum clavum. Latum clavum*, inquit, *purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum, Græci τὸ κολωβίωνα vocant.* Et addit: *Vſum eius retinent hodie principes inijcientes veſti a cervice ad pectus indumentum ex purpura vel pellibus pretioſis muris Pontici, vel alijs, dum Regio habitu prodeunt in publicum.* Quæ ab aliquo alio poſteà adſcripta eſſe credo. Nunc ut ad formam tunicæ laticlaviæ progrediamur, quemadmodum anguſticlavia duos clavos habebat; ita laticlavia vnum ſolum ab anteriore & poſteriore parte. Perſuadent hoc mihi omnes ſcriptores, qui cùm de tunica laticlavia mentionem faciunt, vnam tantum purpuram aut clavum illi tribuunt. Ita Iuvenalis:

——Quid confert purpura maior
Optandum.

Lucia-

Lucianus in Demonacte: ἰδὼν δὲ τινα τῶν εὐπαρύφων ἐπὶ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας μέγα φρονοῦντα. *Cum aliquem vidisset laticlaviorum latitudine purpuræ superbientem.* Quintilianus lib. 8. cap. 5. *Porro ut affert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita certe neminem deceat intexta pluribus notis vestis.*

Plinius lib. 33. cap. 1. *Vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones.* Sic & Horatius:

——latum demisit pectore clavum.

Suetonius in Augusto cap. 75. *Veste non temere alia domestica usus est, quam ab uxore & sorore & filia neptibusque confecta, togis neque restrictis neque fusis, clavo nec lato nec angusto.* Et ne quis censeat hic latum clavum non pro ipso clavo, sed pro tunica laticlavia sumi, Silius clare ostendit vestem ipsam laticlaviam vnico tantum clavo distinctam fuisse lib. 3.

Discinctis mos thura dare, atque ex lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo.

Ita & de mappa laticlavia Martialis:

Et lato variata mappa clavo.

Sed optime omnium Herodianus hoc declarat lib. 5. vbi de Heliogabali sacrificijs agit: Τὰ δὲ σπλάγχνα τῶν ἱερουργηθέντων τά τε ἀρώματα ἐν χρυσοῖς σκεύεσιν ὑπὲρ κεφαλῆς οὐκ οἰκέται δή τινες, ἢ εὐτελεῖς ἄνθρωποι ἔφερον, ἀλλ' οἵ τ' ἔπαρχοι τῶν στρατοπέδων, καὶ οἱ ἐν ταῖς μεγίσταις πράξεσιν ἀνεζωσμένοι χιτῶνας ποδήρεις καὶ χειριδωτοὺς νόμῳ φοινίκων ἐν μέσῳ φέροντες μίαν πορφύραν. *Exta vero victimarum atque aromata intra lances aureas, capitibus imposita gestabant, non quidem famuli aliqui aut humiles personæ, sed præfecti exercitibus, & quicumque maximas dignitates obtinebant: induti tunicas talares ac manuleatas, Phœnicum more, vnamque in medio purpuram ferentes.* Vbi videmus, vestem Sacerdotalem Phœnicum, quam πλατύσημον fuisse in-

ſra docebimus, vnam tantum purpuram habuiſſe. Obſtare tamen videtur huic ſententiæ locus Varronis lib. 8. de LL. *Nam ſi quis tunicam in vſu ita conſuit, vt altera plagula ſit anguſtis clavis, altera latis, vtraque pars in genere ſuo caret analogia.* Sed aut locus hic de anguſticlavia tunica intelligendus, cuius vna plagula latioribus quam altera clavis diſtincta ſit, aut legendum eſt: *vt altera plagula ſit anguſtis clavis, altera lato.* Quod magis reor. Sed recte legit Sciopij editio: *Vt altera plagula ſit anguſti clavi, altera lati.* Latus autem clavus in tunica Senatoria non erat inſertus loco quo anguſti clavi, nempe ad latus dextrũ vel ſiniſtrũ, ſed in media tunicæ parte. Horatius l. 1. Sat. 6.

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impedijt crus
Pellibus, & latum demiſit pectore clavum.

Ad quem locum Acro: *Demiſit pectore, media parte corporis.* Idem ad Sat. 5. lib. 1. *Latum clavum purpuram dicit, qui in pectore extenditur Senatorum.* Et Herodianus lib. 5. ubi ſupra de ſacrificijs Heliogabali ἐν μέσῳ φέροντες μίαν πορφύραν. Hinc quia purpura illa in medio tunicæ loco poſita erat; veſtem laticlaviam μεσοπόρφυρον etiam vocabant. Iſaias c. 3. καὶ τὰ περιπόρφυρα καὶ τὰ μεσοπόρφυρα, καὶ τὰ ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν. *Et veſtes prætextatas purpura, & clavatas purpura, & veſtimenta per domum.* Ad quem locum D. Baſilius τὸν ἐν τῇ ἐσθῆτι κόσμον τῶν καλλωπιζομένων γυναικῶν, ὡς περίεργον διαβάλλει, πορφύραν ποτὲ μὲν κατὰ τὰ ἄκρα παρυφαινόντων, ποτὲ δὲ καὶ τὸ μέσον αὐτῆς ἐντιθέντων. *Cultum veſtimentorum, quo ſuperbiunt mulieres, tamquam nimium reprehendit, utpote quæ modo oris attexant purpuram, modo mediæ veſti inſerant.* D. Hieronymus l. 2. comment. in Iſaiam: *Pro faſcia pectorali, quam interpretatus eſt Symmachus, Septuaginta tunicam* μεσοπόρφυρον, *id eſt clavatam purpura, tranſtulerunt, quod Aquila cingulum*

exulta-

exultationis expressit. Sic etiam μεσόλευκον χιτῶνα appellant tunicam purpuream lato clavo albo distinctam, qualem Persarum Reges portabant, ut ex Xenophonte constat lib 8. de Pædia Cyri: ἐπὶ δὲ τούτοις ἤδη αὐτὸς ἐκ τῶν πυλῶν προυφαίνετο ὁ Κῦρος ἐφ' ἅρματος ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν, καὶ χιτῶνα πορφυροῦν, μεσόλευκον, ἄλλῳ δ' οὐκ ἔξεστι μεσόλευκον ἔχειν. *Posthac iam ipse Cyrus prodibat ex portis in conspectum super currum, rectam tiaram habens, tunicamque purpuream albo clavo distinctam. Alij enim non licet habere tunicam albo clavo ornatam.* Male autem Casaubonus in Athenæo μεσόλευκα περιπετάσματα interpretatur *mediocriter albicantia,* ut bene observat Claudius Salmasius. Optimè Curtius, qui χιτῶνα μεσόλευκον reddit *purpuream tunicam, cui medium album intextum erat.* lib.3. *Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur, purpureæ tunicæ medium album intextum erat:* μεσόλευκον χιτῶνα etiam διάλευκον alij vocant. Vide Brissonium lib.1. de Regno Persarum. Sic Mesoleucos gemma vocatur, gemma quasi albo clavo distincta. Plinius lib.37.cap.10. *Mesoleucos est, mediam gemmam candidâ distinguente linea. Mesomelas nigra vena quemlibet colorem secante per medium.* Qua autem latitudine purpura illa fuerit, quæ vesti laticlaviæ inserebatur, haud bene definiri potest. Quidam enim, qui modestiam affectabant, quamvis laticlavij essent, tamen purpura non magna utebantur. Spartianus de Severo: *Hic tam exiguis vestibus usus est, ut vix tunica eius aliquid purpuræ haberet.* *Lampridius de Alexandro Severo.* *Chlamydes hirtas Severi, & tunicas asemas, vel macrocheras ex purpura non magna ad usum revocavit suum.* Errant tamen qui hinc credunt, Severum & Alexandrum angusticlavias tunicas portasse. Vt enim ex his quæ diximus constat; non solum latitudine clavi, sed etiam qualitate & forma, laticlavia tunica ab angu-

ſticlavia differebat; hinc & laticlavia arctum clavum, & anguſticlavia latos clavos habere poterat, non tamen ideò minus aut hæc anguſticlavia, aut illa laticlavia erat. Vt autem Severus & Alexander laticlaviæ tunicæ exiguum clavum inſerebant; ita contra alij ambitioſiores, purpuram ſuam admodum dilatabant. Lucianus in Demonacte: ἰδὼν δέ τινα τῶν εὐπαρύφων ἐπὶ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας μέγα φρονοῦντα, κύψας αὐτοῦ πρὸς τὸ οὖς, καὶ τῆς ἐσθῆτος λαβόμενος, καὶ δείξας, ἔφη, τοῦτο μέντοι πρὸ σοῦ πρόβατον ἐφόρει, καὶ ἦν πρόβατον. *Cum laticlavium quemdam vidiſſet, purpuræ latitudine ſuperbientem, admoto illius auri capite, prehenſaque veſte, & commonſtrata, inquit, hoc ante te ovis ferebat, & ovis erat.*

Cap.23. Ita & Dominus noſter apud Matthæum increpat Scribas, quod dilatent phylacteria ſua: Πάντα, inquit, τὰ ἔργα αὐτῶν ποιοῦσι πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις: πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, καὶ μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. *Omnia opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus; dilatant enim phy-*

Lib.1.adverſus hæreſes. *lacteria ſua, & magnificant fimbrias.* Vbi Epiphanius explicat τὰ φυλακτήρια clavos purpureos. Sed de his infra.

Cap.73. De Auguſto autem tradit Suetonius (quem tunicam laticlaviam portaſſe nemo negabit) *eum nec anguſtum nimis clavum, nec nimis latum portaſſe: veſte, inquit, non temere alia quam domeſtica uſus eſt, ab uxore & ſorore & filia neptibuſque confecta, togis neque reſtrictis neque fuſis, clavo nec lato, nec anguſto.* Ordinariam autem lati clavi menſuram fuiſſe credo palmi latitudinem. Feſtus Pompeius: *Tunica autem palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ appellatur.* Tunica enim palmata erat veſtis purpurea, lato clavo aureo ornata, ut infra plenius exponemus.

CAPVT

CAPVT XII.

Baleares primi tunicis laticlavijs usi. Tullus Hostilius primus Romæ lato clavo vsus. Omnes indiscriminatim olim latum clavum portarunt. Postea Senatoribus proprius. Tunica Senatoria laticlavia. Non cingebatur. A Cæsare contra usum cincta. Cur laticlaviam chirodotam portarit. Phryges habuerunt manuleatas tunicas. Romani olim nullas tunicas habuerunt. Postea curtas tulerunt, dehinc cum manicis usque ad cubitorum ima, tandem chirodotas. Tunicæ sine manicis indecoræ posterioribus temporibus. Eæ reis ignominiæ causa indutæ. Tunica laticlavia Senatorum insigne. Latus clavus. Clavus pro lato clavo. Ambrosius emendatur. Chlamydis usus Senatoribus interdictus: ijs, qui in comitatu Imperatoris extra vrbem concessus. Præfectus vrbis chlamyde usus, & eius vicarius. Nonius Marcellus emendatus. Saraca tunicæ barbaræ genus. Leges duæ codicis Theodosiani corriguntur. Tzanga barbarum calceamentum. Imperatores interdixerunt barbarica indumenta.

STRABO lib. 3. tradit Baleares omnium primos tunicis laticlavijs usos: οὗτοι δὲ καὶ ἐνδῦσαι λέγονται πρῶτοι τοὺς ἀνθρώπους χιτῶνας πλατυσήμους. *Hi vero primi hominum dicuntur gestasse tunicas laticlavias.* Et ex eo Eustathius in Dionysium: οἱ δὲ ἐν αὐταῖς ἄνθρωποι πρῶτοι πλατυσήμους χιτῶνας ἐφόρεσαν. *Incolæ vero Balearium primi invenerunt laticlavias tunicas.* Non recte autem Lipsius, qui πλατυσήμους χιτῶνας Balearium cum prætextis purpura tunicis confundit, quas Hispanis tribuunt Livius & Polybius. *Cent. V. Epist. 53.*

Primus Romæ Tullus Hostilius lato clavo vsus. Plinius lib. 9. cap. 39. *Purpuræ vsum Romæ semper fuiße video, sed Romulo in trabea; nam toga prætexta & latiore clavo Tullum*

Hosti-

Hoſtilium e Regibus primum uſum Hetruſcis devictis ſatis conſtat. Et deinde longo tempore omnes indiſcriminatim latum clavum portabant. Idem Plinius lib.33. cap.1. *Anuli diſtinxere alterum ordinem a plebe, ut ſemel cœperant eſſe celebres, ſicut tunica ab anulis Senatum tantum; quamquam & hoc ſerò, vulgoque purpura latiore tunicæ uſos invenimus etiam præcones, ſicut patrem L. Ælij Stilonis, Præconini ob id cognominati.* Sed poſtea Senatoribus propria facta laticlavia tunica, uti ex hoc loco patet, & omnibus conſtat.

Tunica igitur Senatoria apud Romanos purpuram palmi latitudine ut plurimum in medio habebat; atque ea quidem non cingebatur. Quintilianus lib. 11. *Latum habentium clavum modus eſt, ut ſit paullum cinctis ſubmiſſior.* Hinc contra uſum Iulius Cæſar, de quo Suetonius cap. 45. *Etiam cultu notabilem ferunt. uſum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter, quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. Vnde emanaſſe Sullæ dictum conſtat, optimates ſæpius admonentis, ut malè præcinctum puerum caverent.* Qui & hoc præter morem, quod laticlaviam chirodotam ferebat, forte ut ſe a Phrygibus & Ænea oriundum hoc habitu teſtaretur. Phrygibus manuleatæ tunicæ in uſu erant. Virgilius:

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Et ſic Iulus Æneæ filius cernitur apud Triſtanum in Gemma regia cum tunica chirodota vſque ad digitos.

Romani autem, ut Gellius ait lib. 7. c. 12. *primo quidem ſine tunicis, toga ſola amicti fuere, poſtea ſubſtrictas & breves tunicas citra humerum deſinentes habebant, quod genus Græci dicunt ἐξώμιδας.* Talis tunica apparet in veteri lapide ad portam Nomentanam, quem exhibet Ph. Rubenius in Electis.

Atque

Atque ita quidem antiquissimis temporibus. Posteà tunicas portarunt cum manicis vsque ad cubitorum ima peruenientibus, ut ex antiquis statuis & nummis constat. Deinde labente iam Imperio, sub Gallieno credo, aut circiter, etiam chirodotæ & talares tunicæ a Romanis portari cœperunt; ita ut postea indecoræ visæ sint tunicæ sine manicis. D. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana: *Sicut enim talares & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cum tuncati sunt, non eas habere flagitium est; sic animadvertendum est in cetero quoque usu rerum abesse oportere libidinem.* Hinc ignominiæ causa reis tunicas sine manicis induebant. Paulus Diaconus lib. 22. Hist. Miscellæ: *Et indutum hunc laneo, brevi ac sine manicis vestimento, sedere fecerunt super asinum sagma ferentem.* Et sæpius occurrit in Scriptoribus ævi illius. Tunicam autem lato clavo ornatam Senatorum insigne fuisse in confesso est. Hinc & latus clavus passim vocatur ab Auctoribus priscis, & interdum absolute clavus, si Acroni credimus ad illud Horatij lib. 1. Sat. 6.

Sumere depositum clavum.

& antiquo Horatij interpreti a Cruquio edito in Horatij Sat. 7. lib. 2. Bonifacius Comes in litteris ad Augustinum de Castino: *Sufficit pro funere victi tanta deiectio; adoravit sarracam clavus, timuit Senator Barbarum caput, tremuit militem dux.* Hinc forte emendandus D. Ambrosius de Sacerdotali dignitate cap. 3. *Ergo, fratres, sicut Senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum; sicut nautam navigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores; sic Episcopum non aliud nisi Episcopalis opera designat.* Vbi corrigendum videtur,

Apud Augustinum in appendice Epist. Tom. 10.

tur, *ſicut Senatorem clavus ornat.* prona enim mutatio verbi *clavus* in *chlamys.* nec veriſimile videtur, Ambroſium Senatoribus chlamydem aſſignare pro inſigni Senatoriæ dignitatis, cum Gratianus, Valentinianus & Theodoſius lib. 14. tit. 10. l. 1. Cod. Theod. Senatoribus in vrbe Roma chlamydum uſum interdicat: *Sine exceptione temporis, matutini dumtaxat, intra mœnia conſtitutus, nullus Senatorum habitum ſibi vindicet militarem, ſed chlamydis terrore depoſito, quieta colobiorum ac pœnularum induat veſtimenta. Cum autem vel conventus ordinis candidati cœperit agitari, vel negotium eius ſub publica iudicis ſeſſione cognoſci, togatum eumdem intereſſe mandamus.* Non tamen nego Senatoribus, qui in comitatu Imperatoris extra Vrbem erant, chlamydum uſum conceſſum fuiſſe: nec ego in Vrbe ipſa Præfectum Vrbis & Vicarium eius præfecturæ chlamydes portaſſe; quod ſuperius oſtendimus ex Caſſiodoro & Velleio Paterculo. Sicut Ambroſij, ita corruptus etiam erat eodem modo Nonij Marcelli locus: *Patagium aurea chlamys, quæ pretioſis veſtibus immitti ſolet.* ubi bene viri eruditi corrigunt, *aureus clavus qui pretioſis veſtibus immitti ſolet.* Porro ex loco Bonifacij ad Ambroſium conſtat, ſarracam eſſe tunicæ barbaræ genus. Anaſtaſius in Benedicto: *Sarracam de Holovero cum Chryſoclavo.* Hinc aliquando ſuſpicatus ſum mendum latere in l. 3. C. Theodos. de habitu quo uti oportet intra Vrbem. ubi Imperatores vetant, ne quis *intra Vrbem Romam ragis vel tzangis utatur.* Et lib. 2. ibid. *uſum tzangarum atque braccarum intra Vrbem venerabilem nemini liceat uſurpare.* Quamvis enim viri docti explicent de braccis, mirum tamen mihi videtur, ſub tam gravi pœna vetari braccarum uſum, cum illæ iam a tempore Alexandri Severi Romæ eſſent receptæ.

Tit. de habitu quo uti oportet intra Vrbem.

ceptæ.

ceptæ. Vnde Lampridius de eo: *Braccas albas habuit.* Hinc haud abſurdum forte ei ſubſtituamus *ſaracas* pro *racis* & *bracis*. ut enim ſaraca barbara tunica, ita tzanga barbarum calceamentum, ut docet Caſaubonus in Trebellium. Solebant autem Imperatores interdicere barbarica indumenta civibus Romanis. Vnde etiam lib. 4. eod. tit. *maiores crines, & indumenta pellium* prohibentur, qui Gothorum propria erant, ut ex Sidonio, Syneſio & alijs conſtat.

CAPVT XIII.

Faſciæ in ſtatuis togatis poſterioris ævi non ſunt clavi, ſed oraria, quibus Senatores illorum temporum uſi. Oraria Diaconorum illis ſimilia. Imponebantur ſiniſtro humero: dextro ſubmittebantur. Σιμικίνθια, ſeu mappulas portabant, qui conſulares trabeas ferebant. Pallia Archiepiſcopalia ſunt faſciæ humerales. Aliæ faſciæ in antiquis ſtatuis in modum Archiepiſcopalis pallij poſitæ. In monumento apud Boiſſardum eſt vir chlamyde ornatus cum duobus iuuenibus pænulatis contra Gruterum. Officialium habitus pænula cum pallio. Pallia illa fuerunt faſciæ. Codex Theodoſianus, Iſidorus, Plautus explicati. Faſcijs uſi miniſtri conviviorum & ſacrificiorum. Lanea pallia dicta. Pallia linteis oppoſita. Byzantini Imperatores humeralem faſciam portarunt ex ſerico, auro, & gemmis. Lorum cum tiara confunditur. Mitra interdum eſt faſcia. Tiara integer pileolus. Lorum imperiale. Nummus apud Baronium, Theodoſium & Arcadium exhibet, non Philippum & Ioannem Apoſtolos.

ILlud etiam hoc loco annotandum in ſtatuis togatis poſterioris ævi faſcias quaſdam cerni quæ ſiniſtrum humerum tegunt, & ſub brachium dextrum deſcendunt, ut videri poteſt in ſarcophagis marmoreis apud Boſium in Roma ſubterranea fol. 431. 245. 285. & alias ſæpe. De quibus nihil

hoc loco dicerem, nisi vidissem Romæ quosdam antiquitatis studiosos existimare has zonas sive fascias clavos esse, qui sane toto cælo errant; quamvis non multum abeant a Cuiacij & Scaligeri sententia, quam pluribus supra confutavimus. Si enim clavi sunt, cur non illos videmus in statuis antiquioribus, sed solummodo in ijs quæ post Constantinum sculptæ sunt, cum clavi usus antiquissimus fuerit, & a Tullo Hostilio cœperit, si Plinio credimus?

Existimo igitur fascias has oraria esse, quæ illo tempore Senatores portabant, ut infra dicemus, atque in hanc sententiam me perducit, quod videam oraria Diaconorum nostrorum, in quibus solummodo usus eorum perstat etiamnum, haud absimilia esse his zonis quas observavimus in statuis. Etenim & illa sinistro humero imposita, dextro brachio submittantur. Honorius Augustodunensis Gemma animæ cap. 204. de Orario: *Primitus sinistro humero imponitur, & trans cor in dextrum latus reflectitur.* Concilium Toletanum quartum T. 4. *Ergo orarium oportet levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est; prædicat, dextram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat.* Chrysostomus in λειτουργίᾳ de Diacono: καὶ τὸ μὲν ὠράριον ἀσπασάμενος ἐπιτίθησι τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ. *Orarium osculans imponit dextro humero.* Senatores autem illo tempore oraria gestasse constat ex Glossis Basilicῶν in quibus ὀδονάρια καὶ ὀδόνια ὑφάσματα ἐπιμήκη, ἃ καὶ ὠράρια παρά τισιν λέγονται, ταῦτα δὲ οἱ εἰς παλάτιον εἰσιόντες συγκλητικοὶ ἐπιφερόμενοι ἐν αὐτοῖς καὶ ἀπεμύττοντο καὶ ἀπέπτυον. *Odonaria & Odonia sunt panni longi, qui & Oraria dicuntur a quibusdam. Hæc fere qui in palatium ibant Senatores, gerebant, illis utebantur ad emungendum & expuendum.* Non tamen illi qui consulares trabeas ferebant,

bant, oraria portabant, ſed loco illorum mappulas ſive σιμικίνθια. Hoc teſtatur illuſtris locus apud Theophylactum in Acta Apoſtolorum cap. 19. Σουδάρια καὶ σιμικίνθια λινοειδῆ εἰσιν ἀμφότερα· πλὴν τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται· τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράρια φορέσαι· οἷοί εἰσιν οἱ φοροῦντες ὑπατικὰς στόλας, πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τοῦ προσώπου. *Sudaria & ſemicinctia linea ſunt utraque, ſed ſudaria quidem capiti imponuntur, ſemicinctia vero in manibus tenent, qui non poßunt ſudaria (oraria) geſtare, quales ſunt qui geſtant conſulares ſtolas, ut abſtergant humores faciei, &c.* In alijs monumentis eiuſdem ævi videmus faſcias quaſdam alio modo poſitas. Etenim utroſque humeros ambiunt, & deinde in pectus deſcendunt, eodem fere modo quo pallia ficta videmus in Græcorum Patrum imaginibus. *Pallium enim*, ut ait Scaliger Epiſt. 345. ad Carolum Labbæum, *Eſt circulus ex ſubtili panno quatuor aut quinque digitorum amplitudine, ex quo duæ ex eodem panno propendent faſciæ, ita ut cum circulus humeris antiſtitis fuerat impoſitus, duæ illæ faſciolæ a pectore & a tergo dependeant.* Vide ſi placet, Ioannem Diaconum lib. 4. cap. 81. de Vita S. Gregorij. Rupertum lib. 1. de Divinis Officijs cap. 27. Honorium Auguſtodunenſem in Gemma animæ cap. 221. Alcuinum & alios. Sed mihi non eſt animus hic de pallijs Archiepiſcoporum tractare, ſufficit annotaſſe me in antiquis quibuſdam marmoribus faſcias in modum pallij Archiepiſcopalis poſitas. Ita apud Boiſſardum T. III. Antiquitatum fol. 92.



Vir quidam chlamyde ornatus viſitur, & duo iuvenes pœnulati cum faſcijs ſive pallijs pœnulæ iniectis. Immaniter enim errant, qui monumentum hoc deſcribentes dicunt, expreſſum eſſe virum togatum cum duobus pueris prætextatis. Ego enim hic neque video togam puram, neque prætextam; ſed, ut dixi, militem chlamyde, & duos iuvenes pœnulis indutos, quibus faſciæ illæ ſive pallia humeros & pectus tegunt; vnde credo duos illos juvenes officiales eſſe. Eorum enim habitus pœnula cum pallio ſive faſcia circumiecta L. 1. C. Theodoſiano de habitu quo uti oportet intra Vrbem: *Officiales quoque per quos ſtatuta complentur, ac neceſſaria peraguntur, uti quidem pœnulis iubemus, verum interiorem veſtem admodum cingulis*

Gruterus inſcript. f. 554.

cingulis observare : ita tamen , ut discoloribus quoque pallijs pectora contegentes conditionis suæ necessitatem ex huiuscemodi agnitione testentur. Qui locus haudquaquam de pallijs græcanicis intelligi potest , sed de his fascijs humeralibus. Et de simili ferè genere pallij intelligi debet Isidorus : *Pallium est quo administrantium scapulæ conteguntur , ut dum ministrant , expeditius currant.* Plautus : *Si quid facturus es , appende in humeris pallium ; & pergat quantum valet tuorum pedum velocitas.* Etenim videmus etiam in venerandæ antiquitatis monumentis, ministros ferè omnes tam conuiuiorum quam sacrificiorum habere in sinistro humero suspensam fasciam quamdam latam cirris dependentibus, quam credo pallium appellatam, quando ex lana,non ex lino erat, ut & Archiepiscoporum & Officialium ὠμοφόρια. Sic pallia linteis opponit Petronius : *Iam Trimalcio unguento perfusus tergebatur non linteis, sed pallijs ex mollissima lana factis.* Sed ut simul & semel omnem hanc τῶν ὠμοφορίων materiam per saturam absolvam , ipsi etiam Imperatores Byzantini humeralem fasciam sive lorum portabant , sed ex serico & auro , ac gemmis distinctum. Ita in donatione Constantini : *Deinde diadema , videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, nec non & superhumerale , videlicet lorum,quod imperiale solet circumdare collum.* Vbi errat Balsamo , qui lorum cum phrygio sive tiara confundit, quamvis eum defendere conetur Claudius Salmasius ad Fl. Vopiscum. Etenim licet aliquando mitra pro tenia sive fascia capitali sumatur , tiara tamen Phrygia ut & Pontificia , non fascia aut lorum erat , sed integer pileolus, ut bene obseruat ipse Salmasius in exercitationibus Plinianis. Lorum igitur hoc quod Imperiale circumdare

solet

ſolet collum, faſcia erat auro atque gemmis diſtincta, quæ vtrique humero impoſita, deinde in pectore crucis ſignum exprimebat, ut analabus antiquorum monachorum, & ſtola noſtrorum Sacerdotum. Et hoc quidem ornatu Imperatores videmus in nummis Michaëlis III. *Conſtantini Ducis apud Stradam; * ita & in nummo illo Theodoſij quem exhibet Baronius ad annum Chriſti 394. duo Imperatores Theodoſius & Arcadius hoc habitu expreſſi ſunt; quos tamen Baronius exiſtimat eſſe Apoſtolos Philippum & Ioannem. Atque etiamnum Imperatores noſtri, quando coronantur, hoc modo ornantur.

Fol.300.
Fol.307.





CAPVT

CAPVT XIV.

Latum clavum Senatorum filÿ ante ætatem Senatoriam portarunt. Quando illam ſumpſerint. Senatorum Patritiorum liberi in prætexta eum portarunt. Statius, Suetonius explicati. Tyrÿ ſinus. Tunica potens. Octavius latum clavum in prætexta geſtavit. Patritÿ in tyrocinio tunica recta uſi, non laticlavia. Senatorum filÿ, qui non erant Patritÿ, ſub Conſulibus, non ante latum clavum geſtarunt quam ad honores pervenerant. Hoc Auguſtus mutavit. Suetonius emendatus. Latum clavum ſumebant cum ſe ad honores gerendos accingerent. Qui latum clavum ſumebant, calceos etiam mutabant. Illorum calcei e nigris pellibus, aliorum albi. Equitum filÿ in ſpem Senatoriæ dignitatis ſæpe latum clavum adipiſcebantur. Ad hoc requirebantur opes, origo, indulgentia Principis. Statio lux. Cenſus Senatorius ÿs opus. Non conferebatur ea dignitas niſi ÿs, qui ex antiqua Equeſtri familia. Caligula contra morem novis Equitibus latum clavum conceßit. Dio refellitur. Equites dicebantur ſplendidi. Senatorum filÿ poſt Auguſtum non opus habebant ad latum clavum ſumendum indulgentia Principis, ſed tantum Equitum filÿ: Equites nonnulli anguſto clavo contenti vivebant. Nonnulli latum clavum, quem ſumpſerant in ſpem Senatoriæ dignitatis, deponebant, & anguſticlaviam tunicam reſumebant. Laticlavÿ. Laticlavia dignitas gradus ad Senatorium Ordinem. Iuvenis ſecundi Ordinis. Laticlavÿ, qui Senatu moti inſignia Senatoria retinent.

NVnc poſtquam de Senatoribus & eorum inſignibus ſatis diximus, ad latum clavum reuertamur, & videbimus, qui alij latum clavum portaverint. Filios quidem Senatorum etiam ante ætatem Senatoriam eum portare ſolitos nemini dubium; ſed quæſtio de tempore, quo hi latum clavum ſumpſerint; nempe an cum virili toga eum induerint,

rint, an vero Principis indulgentia opus fuerit ad lati clavi honorem; de qua re copiose disputant Aldus Manutius lib. 2. de quæsitis per Epist. cap. 2. Casaubonus in lib. 2. Suetonij, & alij.

Ego, omissis doctorum virorum de hac re velitationibus, breviter sententiam meam proponam.

Primò, an filij Senatorum ante virilem togam latum clavum portarint, quæritur; quod Casaubonus negat, & fatetur se nusquam legisse, prætextatos laticlavia tunica ornari solitos, in qua eadem sententia est Aldus Manutius. Sed ego non vereor affirmare, liberos Senatorum, saltem eos qui Patritij erant, etiam in puerili prætexta latum clavum portasse. Fundus meæ opinionis in Statio est, qui lib. 5. Siluarum in Protreptico ad Crispinum illi latum clavum tribuit:

Sic te clare puer genitum sibi curia sensit,
Primaque patritia clausit vestigia luna,
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Vbi non dubium est, per *Tyrios sinus*, prætextam puerilem, *per tunicam potentem*, laticlaviam designari. Nec enim Bernartio assentior, qui *tunicam patentem* legit, non enim tunica laticlavia magis patens quam angusticlavia.

Crispinum autem illo tempore, quo ei Statius *Tyrios sinus* & *tunicam potentem* tribuit, nondum virilem togam sumpsisse, satis ex ijs quæ sequuntur compertum:

Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.

Hinc patet frustra æstuare Casaubonum, dum quærit quomodo Octavio, ut Suetonius refert, *Sumenti virilem togam tunica laticlavia, resuta ex utraque parte ad pedes decidit.*

decidit. Octavius enim laticlaviam tunicam in prætexta geſtabat; fuerat enim allectus inter patritios a Cæſare. Etiamſi Caſaubonus ad ſecundum librum Suetonij exiſtimet eum patricium factum a Cæſare poſt virilem togam ſumptam, ex Dione lib. 45. ſed hoc non neceſſario infertur ex illo Dionis loco. Damaſcenus in Excerptis a Valeſio editis : διατρίβων δ' ἐν τῇ πόλει ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀποδείκνυται εἷς τῶν πατρικίων : hoc eſt : *Dum in Vrbe moratur, Senatuſconſulto in Patricios allectus eſt.* Ex his quæ diximus, ſatis conſtat, Patritios laticlaviam geſtaſſe etiam in prætexta puerili. Etiam illud in confeſſo, eos hanc cum prætexta depoſuiſſe, & cum toga virili tunicam rectam accepiſſe, qua illos in tyrocinio ſuo ſolum vſos credo.

Sed an alij Senatorum filij, qui non erant Patritij, ante virilem togam laticlaviam portabant ? quod ſane haudquaquam affirmare audeo. Illud ſcio, ſub Conſulibus eos nequaquam laticlavios fuiſſe, niſi poſtquam ad honores pervenerant. Iſidorus lib. 9. cap. 4. *Quamvis autem Senatoria quiſquam origine eſſet, vſque ad legitimos annos Eques Romanus erat; deinde accipiebat honorem Senatoriæ dignitatis.* Mutavit hoc Auguſtus, qui, Suetonio referente, *Liberis Senatorum, quo celerius Reipublicæ aſſueſcerent, protinus virilem togam latum clavum induere & curiæ intereſſe permiſit.* Cap. 38. Vbi cum in multis M. S. codicibus ſcriptum ſit, quod Caſaubonus notat, *virili toga* malim legere, *protinus a virili toga latum clavum induere, & curiæ intereſſe permiſit.* Nec enim cum toga virili latum clavum *ſimul accipiebant, ſed tunicam rectam*, ut diximus. Auguſtus autem permiſit, ut ſtatim poſt virilem togam ſumptam, ante geſtos honores latum clavum geſtarent. Latum clavum autem ſumebant, cum ſe ad Rem-

publicam gerendam, & honores capeſſendos accingerent. Plinius lib. 8. Epiſt. 23. *Latum clavum in domo mea induerat, ſuffragio meo adiutus in petendis honoribus fuerat.* Qui autem latum clavum ſumebant, etiam calceos mutabant. Sumebant enim calceos e nigris pellibus vſque ad medium crus pervenientes, ut ex antiquis ſtatuis conſularibus patet, cum ceteri albos portarent. Patritij autem hoc præcipuum habebant, quod ἐπισφύριον eburneum mediæ lunæ forma talis adſutum erat. Sed de calceis Patritiorum alio loco. Verum nec ſolum Senatorum filij, ſed & Equitum, ſæpe in ſpem Senatoriæ dignitatis latum clavum adipiſcebantur. Statius lib. 4. Sylvarum ad Iulium Menecratem, Equitem, cui natam filiam gratulatur, verſibus hiſce gratulatur a Cl. Gevartio nitori ſuo reſtitutis:

Quippe & opes & origo ſinunt hanc lampade prima
Patritias intrare fores; hos, pube ſub ipſa,
(Si modo prona bonis invicti Cæſaris adſint
Numina) Romulei limen pulſare Senatus.

Vbi tria notat neceſſaria Equitum filijs ad laticlaviam dignitatem, opes, originem & indulgentiam Principis. De indulgentia Principis, qua opus habebant Equitum filij, non etiam Senatorum poſt Auguſtum, ex Plinio quoque conſtat lib. 2. Epiſt. 9. *Ego Sexto latum clavum a Cæſare noſtro, ego quæſturam impetravi.* Spartianus in Severo: *Poſtea ſtudiorum cauſa Romam venit, latum clavum D. Marco petijt, & accepit, favente ſibi Septimio Severo affine ſuo bis iam Conſulari.* De opibus etiam certum eſt Senatorium cenſum neceſſarium fuiſſe. Hinc, vt Vlpianus ait: *Principalibus conſtitutionibus conceſſum eſt mulieri, in hoc donare viro ſuo, ut is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico ſimi-*

ſimilive honore honoretur. Et L. 42. ff. de donat. inter virum & vxorem: *Nuper ex indulgentia Principis Antonini recepta eſt alia cauſa donationis, quam dicimus honoris cauſa, ut ecce ſi vxor viro lati clavi petendi gratia donet, vel ut Equeſtris Ordinis fiat, vel ludorum gratia.*

Addit Statius *Originem*; etenim & illa deſiderabatur, ut aliquis Equeſtris Ordinis latum clavum obtineret, nec enim facile conferebatur niſi ijs qui ex antiqua Equeſtri familia erant. Ita Ovidius poſt virilem togam ſumptam cum fratre ſuo latum clavum geſtavit. Ipſe l. 4. Triſtium Eleg. 10.

Interea tacito paſſu labentibus annis
Liberior fratri ſumpta mihique toga.
Induiturque humeris cum lato purpura clavo,
Et ſtudium nobis quod fuit ante manet.

Ovidium autem ex antiqua familia Equeſtri natum fuiſſe teſtatur ipſe:

Seu genus excutias, Equites ab origine prima
Vſque per innumeros inveniemur avos.

Hinc contra morem Caligula, qui novis Equitibus latum clavum conceſſit, Dio de eo lib. 59. τοῦτε τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς, τοῖς τε συγγένεσι καὶ ταῖς περιουσίαις ματαπεμψάμενος κατελέξατο, καὶ τισὶν αὐτῶν καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ, καὶ πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχὴν, δι᾽ ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα, χρῆσθαί τι ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι ἔδωκε. πρότερον γὰρ μόνοις (ὡς ἔοικε) πως τοῖς ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ φύλου γεγεννημένοις τοῦτο ποιεῖν ἐξῆν. *Cum ordo equeſtris diminutus eſſet, ex omni etiam extra Italiam multos tam affinitatibus & opibus auctos primarios arceſſitos in eum allegit, quibuſdamque eorum uſum veſtis Senatoriæ, antequam Magiſtratum ullum geſſiſſent, quo in Senatum aditus paratur, conceſſit: ut ſpem Senatoriæ dignitatis haberent adipiſcendæ. Ante ſolis Senatorio genere natis*

 id

id permißum. Vbi quod ait, antea ſolum Senatorio genere natis id conceſſum fuiſſe falſum eſt, ut enim iam diximus, etiam ſplendidiorum Equitum filij ex indulgentia Principis lato clavo ornabantur ut Ovidius, ſic & Lucanus filius Mellæ Equitis Romani pube ſub ipſa latum clavum ſumpſit. Auctor incertus in Vita eius: *Declamavit & Græce & Latine cum magna admiratione audientiũ, ob quod puerili mutato in Senatorium cultum, & in notitiam Neronis Cæſaris facile pervenit, & honore vixdum ætati debito dignus iudicatus eſt.* Sic & apud Statium Metius Celer ante geſtos honores latum clavũ conſecutus eſt. l.3. Sylv.

—— Puer hic ſudavit in armis,
Motus adhuc tantum maioris munere clavi.

Hunc autem Metium, Equitem ſolum fuiſſe, teſtatur ipſe Statius in præfatione, ubi eum *ſplendidiſſimum iuvenem vocat.* Qui titulus Equitum eſt, ut iam Lipſius annotavit in lib. XI. Annal. Taciti. Vbi tamen haud aſſentior illi, dum ſcribit, ſplendidos Equites vocari eos ſolum qui laticlaviam adepti erant; imo omnes illi, qui ex antiqua familia equeſtri orti erant, Equites ſplendidi vocantur. Velleius l.2. de Mecænate: *Equeſtri & ſplendido genere natus.* Ex his ſatis patet, Senatorum filijs haudquaquam permiſſione poſt Auguſtum Principis opus fuiſſe ad ſumendum latum clavum, ſed Equitum filijs ſolum, quibus (cum opes & antiqua origo concurrebant) facile latus clavus concedebatur, ſi ad gerendos honores civiles vel militares ſe accingebant. Alij enim, quibus vita quieta placebat, anguſtoclavo contenti viuebant, ut Pomponius Atticus, Mecænas, & Septimius ille Severus, de quo Statius lib.4. Sylvarum:

Hic parvus inter pignora Curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ

Creſcis,

Crescis, sed immensos labores
Indole patritia secutus.

Hinc sæpe eveniebat, ut unus ex fratribus laticlavius, alter angusticlavius esset. Suetonius in Vespasiano c. 2. *Sumpta toga virili, latum clavum quamquam fratre adepto diu aversatus est, neque ut tandem appeteret compelli nisi a matre potuit. Ea demum extudit magis convitio quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat.* Sic etiam Seneca & Gallione Senatoribus, Mella frater eorum in Equestri gradu substiterat per ambitionem præposteram, ut Tacitus ait lib. 16. Annalium: *Ut Eques Romanus Consularibus potentia æquaretur, simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat, per procurationes administrandis Principis negotijs.*

Sæpe etiam ij qui latumclavum sumpserant in spem Senatoriæ dignitatis, vel quia non assequebantur honores qui in Senatum ducunt, vel quod animo mutato diversum iter ingredivolebant, deposito lato clavo ad angusticlaviam tunicam redibant, quod de se testatur Ovidius:

Curia restabat, clavi mensura coacta est,
Maius erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitæque fugax ambitionis eram.

Ita ille apud Horatium: *qui*
Vixit inæqualis, clavum & mutavit in horas.

Ita Augustus, ut Suetonius ait cap. 40. *Comitijs tribunitijs si deeßent candidati Senatores, ex Equitibus Romanis creavit; ita ut potestate transacta in utro vellent ordine manerent.* Quod & narrat Dio lib. 54. Hi Senatorum vel Equitum filij, qui in spem Senatoriæ dignitatis, ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι, ut Dio loquitur, latum clavum portabant,

bant, propriè laticlavij vocantur. Suetonius in Nerone cap. 26. *Ac ſæpe in eiuſmodi rixis oculorum ac vitæ periculum adijt. A quodam laticlavio, cuius uxorem attrectaverat, prope ad necem cæſus.* Quem hic laticlavium Suetonius appellat, Tacitus lib. 13. Annal. vocat Iulium Montanum *Senatorij Ordinis, ſed qui nondum honores capeſſiſſet.* Ita & Tribuni laticlavij ſunt, ut mox dicemus, non qui Senatores ſunt, ſed qui ex Equitibus tribunatum militum gerunt, ut per eum ad Senatorium ordinem perveniant. Laticlavia enim dignitas non ipſe ordo Senatorius eſt, ſed gradus ad eum. Caſſiodorus lib. 6. Variarum cap. 14. *Jam Senatui prædeſtinatus eſt, cui nos contulimus laticlaviam dignitatem.* Sed non rectè Caſaubonus in Suetonij Auguſtum, hos iuvenes laticlavios ſecundi Ordinis appellatos fuiſſe exiſtimat, primo gradu ijs conceſſo, qui domum Auguſtam vel ſanguine vel adfinitate, aut aliqua neceſſitate contingerent; & adfert locum Statij in Præfatione lib. 4. Silvarum: *Proximum eſt lyricum carmen ad Septimium Severum juvenem, uti ſcis, inter ornatiſſimos ſecundi ordinis.* Cum tamen ipſe Statius hunc Septimium *contentum arcto lumine purpuræ* vixiſſe teſtetur. Rectius igitur Domitius ſecundum ordinem Equeſtrem interpretatur. L. 1. C. Theodoſ. de Equeſtri dignitate: *Equites Romani, quos ſecundi gradus in urbe omnium volumus obtinere dignitatem.* Laticlavij etiam ſunt qui Senatu moti ſunt ſervatis tamen ijs inſignibus Senatorijs. Suetonius in Auguſto c. 35. *Quoſdam ad excuſandi ſe verecundiam compulit, ſervavitque etiam excuſantibus inſigne veſtis & ſpectandi in Orcheſtra, epulandique publice jus.* Et Dio lib. 54. de iiſdem: τότε γε αὐτοῖς καὶ συνθεάσασθαι καὶ συνεστιᾶσθαι τοῖς βουλεύουσι τῇ αὐτῇ σκευῇ χρωμένοις συνεχώρησε, καὶ ἐς τὸ ἔπειτα τὰς ἀρχὰς αἰτεῖν ἐπέτρεψε. καὶ αὐτῶν οἱ μὲν πλείους

ἐπανῆλ-

ἐπανῆλθον χρόνῳ ἐς τὸ συνέδριον ὀλίγοι δὲ τινὲς ἐν τῷ μέσῳ μήτε τῆς γερουσίας μήτε τοῦ δήμου νομιζόμενοι κατελείφθησαν. *Ijs dum Augustus inter Senatores eodemque habitu convivia & spectacula frequentandi, ac deinceps magistratus petendi copiam fecit. Horum plerique postmodo in Senatum denuo recepti sunt, pauci in medio inter Senatum ac populum loco reputati manserunt.*

CAPUT XV.

Equites per tribunatum militum Senatores fiebant. Tribuni alij maiores, alij minores. Equitibus olim quina stipendia, post trina stipendia necessaria erant ut ad Tribunatum pervenirent. Senatorum filij ad hanc dignitatem nullis stipendijs opus habebant post Augustum. Tribuni Rufuli, Comitiati. Plebei Tribuni meritis & laboribus consequebantur Tribunatum sub Imperatoribus: Equestres voluntate Principis fiebant. Origo per Tribunatum ad Senatoriam dignitatem adspirandi. Laticlavij Tribuni, qui ex Equestri aut Senatorio Ordine, Angusticlavij, qui ex plebe, contra Lipsium. Equites qui ad Senatorium Ordinem adspirabant per militiam latum clavum ante gestos honores impetrabant. Cum ad tribunatum venissent, eum accipiebant, si ante nondum obtinuissent. Senatu moti per Tribunatum recuperabant Senatoriam dignitatem. Horatius exponitur contra Torrentium. Laticlavialis. Angusticlavij tribuni, plebeij, qui per merita & labores ad tribunatum perveniebant. Angusticlavij annulos portarunt. Sub Imperatoribus non per merita & labores, sed ex favore potentum tribunatus obscuris dabantur. Tribunatus dignitas Equestris. Qui fuerunt Tribuni semper postea inter Equites censebantur contra Salmasium. Semestris militia. Iuvenalis emendatur. Poëta Paridis non est Statius, ut Salmasius tradit. Statius Eques. Coniectura de Poëta Paridis. Angusticlavij sæpe post tres tribunatus laticlavij fiebant.

EQuites qui ad Senatoriam dignitatem adspirabant, aut per vrbanos honores, aut per militares progrediebantur. postquam enim ad Tribunatum militum ascenderant, Senatores fiebant. Seneca Epist. 47. *Variana clade quam multos splen-*

didiſſime natos (id eſt ex Equeſtri ordine) *Senatorium per militiam auſpicantes gradum fortuna depreſſit.* Epictetus apud Arrianum lib.3.cap.26. *Attamen ſi ius annulorum mihi concederetur, tum demum optime res meæ haberent, eſſemque beatiſſimus. id quidem ius ut conſequatur patitur ea quæ meretur, deinde adeptus eiſdem conflictatur malis. poſtea aliò converſus, In militiam, inquit, ſi abiero, his omnibus miſerijs liber evaſero. Verſatur in militia haud meliore conditione, vivit ut verbero quivis, & nihilominus ſecunda itemque tertia ſtipendia requirit. Poſtea ſi colophonem impoſuerit, factuſque fuerit Senator, tum primum efficitur ſervus.* Vt enim Lipſius bene explicat ex Polybio, alij Tribuni ex Equeſtri ordine creabantur, alij ex plebeis, hi minores, illi maiores vocabantur. Ita Vegetius lib.2.cap.7. *Tribunus maior per Epiſtolam ſacram Imperatoris iudicio deſtinatur, minor Tribunus provenit ex labore.* Statius:

Lib.1. de Militia Roman. dial.2.

Quem deceat clari præſtantior ordo Tribuni.

Et tempore quidem Polybij quina ſtipendia Equiti neceſſaria erant ut ad Tribunatum perveniret, poſteà mutatum, & ad trina redactum eſt. Ita explico Epicteti illa loco ſupra citato: καὶ οὐδὲν ἧττον δευτέραν αἰτεῖ στρατείαν, καὶ τρίτην: *Et nihilominus ſecunda, item tertia ſtipendia requirit.* Senatorum vero filijs nulla ſtipendia neceſſaria erant poſt Auguſtum, qui, teſte Suetonio, *Liberis Senatorum militiam auſpicantibus non tribunatum modo legionum, ſed & præfecturas alarum dedit.* Vt autem ſub Conſulibus quidam Tribuni a populo, alij in exercitu creabantur, hi Rufuli, illi dicebantur Comitiati, ita ſub Imperatoribus plebei quidem Tribuni per merita & labores ad hanc dignitatem aſcendebant. Equeſtres autem voluntate Principis fiebant. ita intelligo Vegetium: *Tribunus maior per epiſto-*

epiſtolam ſacram Imperatoris iudicio deſtinatur; minor Tribunus provenit ex labore. Ita & Statius libro quinto Silvarum maioris Tribuni creationem Imperatori aſſignat:

Præterea fidos Dominus ſi dividat enſes
Pandere, quis centum valeat frænare maniplos,
Intermiſſus Eques? quis præcepiſſe cohorti,
Quem deceat clari præſtantior ordo Tribuni.

Tamen Claudius Salmaſius ad Fl. Vopiſcum Probum per maiores Tribunos intelligit Tribunos legionum, per minores Tribunos cohortium perperam. Origo autem huius moris ad Senatoriam dignitatem adſpirandi ab Auguſto, ut exiſtimo. Nam Velleius Paterculus, qui tribunus militum iam erat cum C. Cæſar in Orientem profectus eſt, immo & ante ſub M. Vinicio & P. Silio in Thracia Macedoniaque, ut ipſe tradit, demum latumclavum adeptus eſt vna cum quæſtura, quando cum Tiberio ad bellum Dalmaticum profectus eſt: *Finita equeſtri militia, deſignatus quæſtor, necdum Senator æquatus Senatoribus.* Cum igitur ex Polybio conſtet, alios Tribunos ex Equeſtri ordine, alios ex plebe militum legi ſolitos fuiſſe, exiſtimo eos, qui ex Equeſtri, aut Senatorio genere erant, (olim enim *quamvis Senatoria quis origine eſſet, uſque ad legitimos annos Eques Romanus erat*, ut Iſidorus ait) laticlavios dictos, plebeios vero Tribunos Anguſticlavios. Lipſius tamen, & qui eum ſequuntur, exiſtimant laticlavios eſſe qui ex Senatu, Anguſticlavios qui ex Equite nati; quos in hunc errorem induxit, quod putarent ſolos Senatores laticlaviam, ſolos Equites auguſticlaviam portaſſe; ſed ut ſupra abunde probavimus, auguſticlavia plebi & Equeſtri ordini communis erat. Equites autem qui ad Senatorium ordinem aut per vrbanos honores, aut

Lib. 2. c. 9. de militia.

M 2 per

per militiam aſpirabant, facile latumclavum adipiſcebantur, etiam ante honores geſtos. Ita Metius Celer Equeſtri genere natus, primis ſtipendijs iam latumclavum geſtabat. Statius: ——*Puer hic ſudavit in armis*

Notus adhuc tantum maioris munere clavi.

Ita & Severus longo tempore antequam tribunatum gereret, latumclavum impetravit a D. Marco, ut Spartianus de eo refert. Imo Equites etiamſi antea latumclavum nondum obtinuerant, cum tamen ad Tribunatum pervenirent, eum adipiſcebantur. Hinc Seneca ait *eos Senatorium per militiam auſpicari gradum.* Atque hanc noſtram de Tribunis laticlavijs opinionem aperte firmat Xiphilinus ex Dione: Εἷς δ᾽ οὖν τις νεανίσκος Ἰούλιος Καλούαστρος κεχιλιαρχηκὼς εἰς βουλείας ἐλπίδα παραδοξότατα ἐσώθη. *Quidam ergo iuvenis Iulius Calvaſter Tribunus militum in ſpem Senatoriæ dignitatis præter omnium opinionem ſervatus eſt.* Ecce hic Iulius Calvaſter in ſpem Senatorij Ordinis Tribunatum militum geſſerat. Ergo nondum Senator erat. Aſt hunc eumdem Tribunum laticlavium appellat Suetonius in Domitiano cap. 10. *Satiſque conſtat, duos ſolos e notioribus venia donatos, Tribunum laticlavium & Centurionem.* Vt igitur in vrbe ij laticlavij, qui Senatorio vel Equeſtri genere orti ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι latum clavum portant; ita & Tribuni laticlavij ſunt non ſolum ij, qui ex Senatu lecti ſunt, ut Lipſius autumat, ſed qui ex Equeſtri vel Senatoria ſtirpe, ad Tribunatus dignitatem peruenerunt, ea ſpe, ut per Tribunatum in Senatum ingrediantur. Etenim tam expedita erat via, per Tribunatum ad Senatoriam dignitatem, ut etiam Senatu moti regrederentur per eum in Curiam. Horatius l. 1. Sat. 6. ——*Quo tibi Tulli*

Sumere depoſitum clavum, fierique Tribunum?

Epiſt. 47. (marginal note beside "venirent, eum adipiſcebantur")

In Domitiano. (marginal note beside the Greek quotation)

Hic

Hic enim Tullius Senatu motus, atque ita deposito lato clavo in Equestri ordine consistens, ut rursus Senatorium ordinem acciperet, militiæ se dederat, atque ita ad Tribunatum perveniens, latumclavum iterum sumpserat. Male etenim Torrentius, qui Tribunum plebis eum factum credit. Vetus Commentator: *Tullius hic Senatu motus est a Cæsare quasi Pompeianus; occiso vero Cæsare recepit latum iterum clavum, hoc est, Senatoriam dignitatem, & Tribunus militum factus est.* Dio lib. 42. de Sallustio: στρατηγὸς γὰρ ἐπὶ τῷ τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδεικτο. *Vt Senatoriam dignitatem reciperet tunc Tribunus factus est.* Ita & Lentulus apud Dionem lib. 37. ὁ Λεντοῦλος ὁ Πόπλιος, ὁ μετὰ τὴν ὑπατείαν ἐκ τῆς γερουσίας ἐκπεσών, ἐστρατήγει γὰρ ὅπως τὴν βουλείαν ἀναλάβῃ. *P. Lentulus, qui post gestum Consulatum Senatu exciderat, ac Senatoriæ dignitatis recuperandæ causa Tribunatum tunc gerebat.* Tribunus autem laticlavius etiam *laticlavialis* vocatur in veteri inscriptione, quæ extat apud Gruterum:

C. MARIVS. DRVSVS. C. F. PR. PR
DICTVS. EX. PROVINCIA. DACICA
TRIBVNVS. LATICLAVIALIS. PRÆF
LEG. XIII. FONTIVM. AQVARVMQ.
COELESTIVM. EX. MONTIB. DELA-
BENTIVM. TORRENTI. SVFFLAMEN. HIS
MVRIS. FOSSAQ. OPPOSVIT. ET. AD.
PLANA PERDVXIT.

Vt autem laticlavij Tribuni erant Equitum aut Senatorum filij; ita angusticlavij erant plebeij, qui per merita & labores ad Tribunatum perveniebant. Suetonius in Othone cap. 10. *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiæ decimæ legionis Tribunus Angusticlavius.* Atque ut laticlavij Tribuni Senatoria ornamenta & latum cla-

vum portabant, ita hi annulos Equeſtris ordinis inſigne geſtabant, quos & laticlavij, ut & Senatores Romæ portabant. Appianus in Lybicis: Ἀχθομένων δὲ πάντων ἐπὶ τῇ τῶν πεσόντων ἀταφίᾳ, καὶ μάλιστα ἐπὶ τοῖς χιλιάρχοις ὁ Σκιπίων τινὰ λύσας τῶν αἰχμαλώτων ἔπεμψε πρὸς Ἀσδρούβαν καὶ παρῄνει θάψαι τοὺς χιλιάρχους· ὁ δ' ἐρευνησάμενος τὰ νεκρὰ, καὶ ἀπὸ τῆς σφραγῖδος εὑρὼν χρυσοφοροῦσι γὰρ τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων ἔθαψεν αὐτούς. *Quum omnes moleſte ferrent relictos inhumatos milites, præcipue tribunos, Scipio captivum quemdam ſolutum vinculis miſit ad Aſdrubalem, rogans, ut ſepeliret tribunos; ille quæſitos inter cadavera & aureorum annulorum agnitos indicio (his enim differunt a vulgo militum ferreos geſtantium.) ſepelijt.* Quia per tribunatus hos anguſticlavios plebeij ad Equeſtrem dignitatem aſcendebant: hinc ſub Imperatoribus non per merita & labores, ſed ex favore eorum, qui potentia pollebant, obſcuris hominibus Tribunatus titulus dabatur, ut per eum Equites fierent. Sic Paris Hiſtrio ſub Domitiano, Poëtis, qui tragœdias illi ſcribebant, Tribunatus largiebatur. Hinc illa querela Iuvenalis Satyrâ 7. de Paride:

> *Ille & militiæ multis largitur honorem*
> *Semeſtri, vatum digitos circumligat auro.*
> *Quod non dant proceres dabit Hiſtrio. Tu Camerinos*
> *Et Bareas, tu nobilium magna atria curas,*
> *Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.*

Incertus Auctor qui vitam Iuvenalis conſcripſit, quem aliqui Suetonium eſſe arbitrantur: *Deinde paucorum verſuum Satyra non abſurde compoſita in Paridem Pantomimum, Poëtamque eius ſemeſtribus militiolis tumentem genus ſcripturæ induſtrioſe excoluit.* Qui legiſſe videtur verſus illos Iuvenalis hoc modo, ut bene obſervat

vat Salmaſius in Exercitationibus Plinianis in Solinum:

Ille & militiæ multis largitus honorem
Semeſtris, vatum digitos circumligat auro.

Quæ lectio magis mihi placet quam vulgata; quamquam enim dignitas Tribunorum *ſemeſtris* erat, non tamen inſigne Tribunatus ſemeſtre erat, annulus videlicet aureus, (quod Salmaſius credit) ſed qui ſemel ſemeſtrem Tribunatum militum geſſerant, ſemper poſtea inter Equites cenſebantur, atque annulos aureos geſtabant. Ita Martialis Poëta per Tribunatum ad Equeſtrem ordinem pervenit. Ipſe lib.4. Epigr.95.

Eſt & in hoc aliquid, vidit me Roma Tribunum,
Et ſedeo qua te ſuſcitat Oceanus.

Semeſtris autem militia in Iuvenale, & *ſemeſtres militiolæ* in Auctore vitæ eius, eſt ſemeſtris Tribunatus militum, quem Plinius etiam *brevem militiam* appellat in Panegyrico. Malim tamen legere in illo Iuuenalis loco:

Ille & militiæ multis largitus honorem
Semeſtrem, vatum digitos circumligat auro.

Quod vero Salmaſius per Poëtam Paridis notari credit Statium Poëtam, qui ſcilicet a Paride Tribunatum militum & annulum Equeſtrem adeptus ſit ob ſcriptas illi tragœdias, id mihi non perſuadet: Statius etenim quamvis pauper, nobili ſtirpe ortus erat, quod ipſe indicat in Epicedio in patrem:

Non tibi deformes obſcuri ſanguinis ortus,
Nec ſine luce genus (quamquam fortuna parentum
Arctior expenſis) etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, & nobile pectoris aurum.

Nec

Nec dubium eſt illum Equitem fuiſſe. Interfuit enim epulis illis Domitiani,quibus

——Romuleos proceres, trabeataque Cæſar
Agmina mille ſimul iuſſit diſcumbere menſis.

Vnde ſi Tribunatum militum accepiſſet, non annulorum iure, quod antea habebat, ſed laticlavi honore decoratus fuiſſet. Exiſtimo igitur Iuvenalem in Satyra illa, mentione Paridis facta, cui Statius Agaven vendere coactus erat, verſus illos infarciſſe, quos olim fecerat in Paridem, & Poëtam eius, qui favore eius ad Tribunatum & Equeſtrem ordinem aſcenderat. Quis autem fuerit Poëta hic, haud facile dictu. Sed ſi coniecturæ locus eſt, cenſeo Memorem eſſe tragicum illius temporis nobiliſſimum, qui Libertino genere natus ad Tribunatum militum forſan progreſſus erat favore Paridis. Ita de fratre eius Turno vetus Scholiaſtes Iuvenalis in Satyram 1. *Turnum dicit Scævæ Memoris Tragici Poëtæ fratrem. Turnus hic Libertini generis ad honores ambitione provectus eſt, potens in aula Veſpaſianorum Titi & Domitiani.* Sed ut ad Tribunos Anguſticlavios revertamur, aliquando illis poſt duos aut tres Tribunatus geſtos latus clavus concedebatur ab Imperatore, atque ita laticlavij fiebant. Alexander Severus apud Capitolinum: *Maximus Tribunus, cui ego latum clavum addidi, ad me confugit.*

CAPVT

CAPVT XVI.

Feminæ Asiaticæ latum clavum portasse videntur. Romanis non fuit in usu. Matronæ illustriores ab alijs dignoscebantur stola. Eam aliquando libertinæ portarunt. Differentia inter stolas plebeiarum feminarum & illustriorum. Error Abrami. Equestris generis feminæ aureis pedum vinculis a plebeis distinctæ. Erant ea ansæ sive obstrigilla solearum. Male confunduntur cum periscelijs. Plebeiæ feminæ argenteis pedum vinculis usæ. Monilia ex gemmis & margaritis gestarunt illustres, ex auro plebeiæ feminæ.

REstat ut videamus an feminis etiam in usu latus clavus fuerit; quod mihi non videtur, nisi fortè in Asia olim; Isaias enim inter cultum muliebrem, τὰ μεσοπόρφυρα, recenset secundum Septuaginta Interpretum versionem. Aquila tamen, Symmachus, Theodotion & D. Hieronymus illum locum Isaiæ aliter interpretati sunt. Romanas certe matronas etiamsi Senatorum vxores aut filiæ essent, latumclavum haudquaquam portasse credo, cum nusquam id apud Scriptores inveniam. Imo Imperatores Valentinianus & Valens L. 18. C. Theodos. de Prætoribus & Quæstoribus, aperte feminis lati clavi usum adimunt: *Etsi, iniustum enim* (verba legis sunt) *atque dedecus videtur, mulieres ad laticlavum atque insignia procedere, tamen carbonariam præturam iuxta glebam paternæ substantiæ cognoscere poterunt.* Vt igitur Senatores ab Equitibus lato clavo discernebantur, ita matronæ illustriores ab alijs dignoscebantur ex stola. Festus: *Matronas appellabant eas fere quibus stolas habendi ius erat.* Stolam aliquando libertæ portabant. Quintilianus declamat. 342. ubi agit de ancilla

missa in nuptias Archipiratæ ad liberandum captum filium: *Hæc, de qua queritur, dico voluntate tua eße in libertate: hoc quomodo probo? quo uno probari potest. Fecit aliqua tamquam libera. Nondum dico, ad piratas pervenit. Dissimulo & illud, qua causa volueris eam in libertate esse: interim & vidente te & spectante, habitu matronæ fuit. Hoc satis erat, etsi postea nulla eßent consecuta. An vero maius in hoc putamus eße momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse iusseris, quam si habitum dederis, stolam dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contigit.* Et apud Macrobium l.1.Saturnal. cap.6. refert M. Lælius augur duumviros inspectis libris Sibyllinis nuntiasse, *in Capitolio supplicandum, lectisterniumque ex collata stipe faciendum, ita ut libertinæ quoque, quæ longa veste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent.* At differentia aliqua in stola, ut plebeiarum feminarum fuerit stola alba cum aureo limbo: illustriorum stola purpurea cum aureis segmentis, ut apud Propertium Eleg. 25.

Illaque plebeio vel sit sandycis amictu.

In priapeijs alibi:

Cum tunica stolaque rufa.

Vnde errat Abramus, qui in 2. Philipp. cap. 31. numero 8. solas Senatorij ordinis feminas stola usas tradit. Sed ut annuli distinguebant Equites a populo, ita secundi gradus feminæ aureis pedum vinculis a plebeis mulieribus distinguebantur. Plinius lib.33.cap.3. *Habeant feminæ in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris; discurrant catenæ circa latera, & inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in somno quoque unionum conscientia adsit: etiamne pedibus induitur, atque inter stolam plebemque hunc medium feminarum Equestrem ordinem facit.*

Hæc

Hæc autem vincula pedum erant anſæ ſive obſtrigilla ſolearum, quæ ex auro erant. Athenæus lib. 12. de Parrhaſio: Χρυσοῖς τε ἀνασπαστοῖς ἐπέσφιγγε τῶν βλαυτῶν τοὺς ἀναγωγέας. *Aureis habenis conſtringebat calceorum anſas.* Ita & apud Petronium: *Iam mentum, iam cervix, iam manus, iam pedum candor intra auri gracile vinculum poſitus Parium marmor extruxerat.* Manilius:

Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla.

Perperam viri docti hæc vincula aurea cum periſcelijs confundunt, quæ ſunt, ut in Gloſſis eſt, *Ornamenta vel circuli aurei crurum muliebrium.* Qualia obſervavimus Romæ in antiqua ſtatua. Plebeiæ vero feminæ argenteis his pedum vinculis utebantur. Plinius lib. 33. cap. 12. *Argentum ſuccedit ex re aliquando & auro, luxu feminarum plebis compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos triſtior vetat.* Vbi videmus aureis pedum vinculis plebeijs feminis interdictum fuiſſe, an etiam aureis monilibus? quod non credo. Veriſimile magis, in luxu illo Romano illuſtres feminas monilia ex gemmis & margaritis geſtaſſe, plebeias ex auro. Hinc Iuvenalis plebeiam feminam ita deſcribit:

Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum.

Nec aſſentior hîc Salmaſio, qui legendum contendit:

Quæ nullis longum oſtendit cervicibus aurum.

Gloſſa vetus ad Horatij Satyr. 2. lib. 1. apud Caſp. Barthium l. 38. ad verſ. cap. 6. *Matronarum aut nobilium feminarum tantum erat geſtare lapillos & margaritas, & talia* Sic & ſcenicis mulieribus permiſſum monilia ex auro portare. V. tit. Cod. Theodoſ. de Scenicis.

CAPVT XVII.

Sacerdotes Saturni lato clavo usi, & sacerdotes Gaditani Herculis, & Phœnicum sacrificuli. Silio Italico lux. Calasires. Exterarum religionum sacerdotes habebant Calasires. Martialis locus adhuc non intellectus illustratur. Scribæ & Pharisæi laticlavias vestes portarunt. Phylacteria στολαὶ. *&* ἀμπεχόνιαι *diversum vestimenti genus.* Ἀμπεχόνη *pallium muliebre. Stola tenue amiculum feminarum ex bysso vel serico. Scribæ & Pharisæi muliebres amictus portarunt, contra Petavium. Stola materia & forma differebat a toga & pallio. Romæ viri muliebribus stolis utebantur in conviuijs. Vestes cænatoriæ stolæ dictæ. Marcus Antoninus nova luce perfusus. Cytharædorum vestis stola.* Ἀναβόλαιον. *Amictorium.* Ἀναβολάδιον. Ἀμπεχόνιον *utrumque humerum includebat. Stola dextrum humerum excludebat. Stola toga feminarum. Scribæ & Pharisæi, & diaconi veteris Ecclesiæ amicula circumijciebant ad instar stolæ. Orarium. Diaconi id gestarunt dextro humero excluso.*

ATque hæc satis de ijs qui Romæ lato clavo utebantur. Nunc videndum de barbaris qui vestes lato clavo ornatas portabant. Ac primum quidem Sacerdotes Saturni Carthagine latiore purpura ornatas tunicas gestasse testis Tertullianus de pallio cap. 4. *Cum latioris purpuræ ambitio & Galatici ruboris superiectio Saturnum commendat.* De Sacerdotibus Gaditani Herculis Silius Italicus lib. 3.

——Nec discolor ulli
Ante aras cultus, velantur corpora lino,
Ex Pelusiaco præfulget stamine vertex;
Discinctis mos thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo.

Sed

Sed & Carthaginenses, & Gaditanos sacerdotes credo has tunicas laticlavias sumpsisse a Tyrijs, quorum Coloni erant; nam Tyrij etiam templum Herculis Gadibus exstruxerunt, teste Pomponio Mela lib. 3. c. 6. & alijs. Curtius lib. 4. *Quippe Carthaginem Tyrij condiderunt semper parentum loco culti.* Itaque *ex lege parentum* est ex lege Tyriorum. Phœnicum autem sacrificulos tunicas laticlavias portasse, luculentè docet Herodianus lib. 5. de sacrificijs Eleogabali: Τὰ δὲ σπλάγχα τῶν ἱερουργηθέντων τά τε ἀρώματα, ἐν χρυσοῖς σκεύεσιν ὑπὲρ κεφαλῆς οὐκ οἰκέται δή τινες ἢ εὐτελεῖς ἄνθρωποι ἔφερον, ἀλλ' οἵ τ' ἔπαρχοι τῶν στρατοπέδων, καὶ οἱ ἐν ταῖς μεγίσταις πράξεσιν ἀνεζωσμένοι χιτῶνας ποδήρεις, καὶ χειριδωτοὺς νόμῳ φοινίκων, ἐν μέσῳ φέροντες μίαν πορφύραν, ὑποδήμασί τε λίνου πεποιημένοις ἐχρῶντο· ὥσπερ οἱ κατ' ἐκεῖνα τὰ χωρία προφητεύοντες. *Exta victimarum atque aromata in lances aureas capitibus imposita gestabant non quidem famuli aliqui aut humiles personæ, sed præfecti exercitibus, & quicumque maximas dignitates obtinebant, induti tunicas talares ac manuleatas, Phœnicum more, unamque in medio purpuram ferentes: sed & lineis calceamentis utebantur, quemadmodum vates in eis regionibus consueverant.* Hæ autem lineæ tunicæ laticlaviæ sacrificulorum Calasires vocabantur. Interpres Aristophanis in Aves: ὁ δὲ καλάσιρις χιτὼν πλατύσημος. *Calasiris tunica laticlavia.* Hesychius: Καλάσιρις χιτὼν πλατύσημος, ἔνιοι δὲ λινοῦν καὶ ποδήρη χιτώνιον. *Calasiris tunica laticlavia, nonnullis est & lineata & talaris tunica.* Ex quo corrigendus Suidas, apud quem χιτὼν πλατύς legitur, ut bene animadvertit Brissonius lib. 2. de Regno Persarum. Nec Phœnices solum, sed & omnes alij fere externarum religionum Antistites Calasires habebant laticlavios. Eustathius in 3. Rhapsod. Iliad: καλάσιρις λινοῦς χιτὼν ἱερατικός. *Calasiris linea tunica sacerdotalis.* Atque hinc lux

Martiali lib. 5. Epigrammat. 17. cuius acumen nemo hactenus cepit:

Dum proavos atavosque refers, & nomina magna;
Dum tibi noster Eques sordida conditio est:
Dum te posse negas nisi lato Gellia clavo
Nubere, nupsisti, Gellia, Cistifero.

Hæc Gellia tumida ob nobilitatem, dum non vult nubere angusticlavio, nec ad Senatorias nuptias pervenire potest; ut tamen non nisi laticlavio nubat, nupsit Cistifero, id est, externæ religionis sacrificulo, qui tamen laticlavius erat. Portabat enim calasirin lineum latoclavo ornatum. Apud Hebræos Scribæ & Pharisæi laticlavias portabant vestes. Epiphanius lib. 1. Hæresi 15. de Scribis: Καὶ φυλακτήρια παρ' ἑαυτοῖς ἐπὶ τὰ ἱμάτια ἐπετίθεντο, τουτέστι πλατέα σήματα πορφύρας, νομίσῃ δ' ἄν τις ἐπειδήπερ καὶ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ τοῦτο ἐμφέρεται μὴ ἄρα περὶ περιάπτων λέγει, ἐπειδὴ γὰρ καὶ εἰώθασί τινες τὰ περίαπτα φυλακτήρια ὀνομάζειν. οὐκ ἔχει δὲ ὁ λόγος τὸ παράπαν περὶ τούτου. ἀλλ' ἐπειδὰν στολὰς εἴτ' οὖν ἀμπεχόνας οἱ τοιοῦτοι ἀνεβάλλοντο καὶ δαλματικὰς, εἴτ' οὖν κολοβίωνας ἐκ πλατυσήμων διὰ πορφύρας ἀλουργυφεῖς κατεσκευασμένας, τὰ δὲ σήματα τῆς πορφύρας φυλακτήρια εἰώθασιν οἱ ἠκριβωμένοι μετονομάζειν. *Ad hæc vestes Phylacteriis distinctas gerebant, quæ sunt latiora quædam purpuræ segmenta. De quibus cum Evangelium meminerit, suspicari quispiam possit, de amuletis hic sermonem institui: quod a nonnullis amuleta Phylacteria vocentur Verùm longe alia ratio est. Quippe cum stolis, sive vestimenti genere quodam uterentur isti, quod Dalmaticas aut colobia appellare possumus, quæ amplioribus ex purpura segmentis erant intexta. Eiusmodi porro segmenta qui accuratius loquuntur, nominare Phylacteria soleant.* De Pharisæis paullo post tradit illos eodem quo Scribas habitu vti. Idem refert etiam in responsione ad Epistolam Pau-

Pauli & Acacij, & in Anacephalæosi. Nicetas Choniates Thesauri Orthodoxi l. 1. c. 39. *Dalmaticis, quæ nunc colobia dicuntur, purpuraque prætexuntur, induti, phylacteria sua ostentabant.* Forte autem hi clavi purpurei eadem ratione phylacteria appellata sunt, (si modo Epiphanio hac in re fides) qua Persius prætextam in togis puerorum purpuram custodem appellat. Sat. 4.

Cùm primum pavido custos mihi purpura cessit.

ad quem locum videndus Casaubonus. Sic forsan & Ovidius lib. 3. de Ponto Eleg. 8.

Purpura sæpe tuos fulgens protexit amictus.

Sed & nodus est in illis Epiphanij verbis: ἀλλ' ἐπειδὰν στολὰς εἴτ' οὖν ἀμπεχόνας οἱ οὗτοι ἀνεβάλλοντο καὶ δαλματικὰς εἴτ' οὖν κολοβίωνας ἐκ πλατυσήμων διὰ πορφύρας ἀλουργηφεῖς κατεσκευασμένας. Quæ Petavius vertit: *Quippe cum stolis sive vestimenti genere quodam uterentur isti, quod Dalmaticas aut colobia appellare possumus.* Vbi videmus, Petavium στολὰς sive ἀμπεχόνας cum dalmaticis sive colobijs confundere, quem ideo reprehendit Salmasius in notis ad Tertullianum de Pallio. Ipse στολὰς pallia exponit, dalmaticas, sive colobia, tunicas, quamvis Petavium defendere conetur Kerkoëtius in Elencho confutationum Claudij Salmasij. Mihi non est dubium στολὰς sive ἀμπεχόνας diversum genus vestimenti esse a dalmaticis sive colobijs, non tamen simpliciter στολὰς sive ἀμπεχόνας *pallia* verterem, sed pallia muliebria. Credo igitur magis Epiphanium differentiam gradus quamdam inter Scribas designasse, quorum alij pro amictu habebant stolas Dalmaticas, alij ἀμπεχόνια cum colobijs. Quid autem intersit inter stolam & ἀμπεχόνιον videndum. De stola certum, tenue amiculum feminarum fuisse ex bysso vel serico, ita & ἀμπεχόνη. Hesychius: Ἀμπέχονιον σύμμετρον περίβλη-

περίβλημα. Ἀμπεχόνη λεπτὸν ἱμάτιον, ἀμπεχόνιον ὅμοιον. Ἀμπεχόνιον, *aptum pallium.* Ἀμπεχόνη, *tenue vestimentum.* Ἀμπεχόνιον, *eiusdem generis vestis.* Theocritus Idyll. 15. τὠμπέχονον φέρε μοι. Muliebres autem amictus Scribas & Pharisæos portasse testis ipse Epiphanius in Hæresi Pharisæorum: Τῷ δὲ προειρημένῳ σχήματι τῶν γραμματέων προσήρχοντο, διά τοι τῆς ἀμπεχόνης καὶ διὰ τῶν ἄλλων σχημάτων καὶ γυναικικῶν ἱματίων ἐν πλατείαις ταῖς κρηπῖσι καὶ γλώτταις τῶν ὑποδημάτων προϊόντες. ad quem locum Petavius: *Magnopere mirandum, si modo verum est, muliebribus palliolis vsos esse Pharisæos.* Sed mihi videtur mirum, dubitare doctissimum virum an hoc verum fuerit, cum Dominus noster in Euangelio reprehendat Scribas, quod in stolis, hoc est femineis vestibus, ambulabant. Apud D. Marcum cap. 12. Βλέπετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν. *Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro.* Et apud D. Lucam cap. 20. προσέχετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς. *Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro.* Quod bene explicat Zacharias Chrysopolitanus Episcopus lib. 3. cap. 141. *In stolis ambulare, est in cultioribus vestimentis in publicum procedere: quod reprehenditur in divite qui induebatur purpura et bysso.* Stola enim & materia & forma differebat a toga & pallio; longior enim erat, & cum togæ ex lana essent, stolæ erant byssinæ, bombycinæ aut sericæ. Martialis:

Tom 12. Bibl. Patrum.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines.

Varro περὶ φθορᾶς κόσμου: *aliam cerneres cum stola holoserica.* Sed & Romæ viri muliebribus stolis utebantur, sed in convivijs. L. 33. ff. de auro arg. leg. *Nam & Q. Mutius ait, scire se quendam Senatorem muliebribus cœnatorijs uti solitum, qui si legaret muliebrem vestem, non videretur de ea sensisse,*

Apud Nonium in Stola.

ſenſiſſe, qua ipſe quaſi virili vtebatur. Sed quod Q. Mutius de vno Senatore narrat, id poſtea ſub Imperatoribus promiſcuum fuit. Vide P. Fabri Semeſtrium lib. 1. cap. 15. Hinc cœnatoriæ veſtes ſtolæ appellantur. Dio in Hadriano: Ἀμέλει καὶ Κορνήλιος Φρόντων ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος, ἑσπέρας ποτὲ βαθείας ἀπὸ δείπνου οἴκαδε ἐπανιὼν, καὶ μαθὼν παρά τινος ᾧ συνηγορήσειν ὑπέσχετο, δικάζειν αὐτὸν, ἐν τε τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, ὥσπερ εἶχεν, ἐς τὸ δικαστήριον αὐτοῦ εἰσῆλθε. *Cornelius etiam Fronto, qui cauſis agendis inter eius ætatis Romanos primas ferebat, quum aliquando veſpere profundo a cœna domum rediret, ac intellexiſset a quodam cui patrocinium promiſerat, Hadrianum ius dicere, in amictu cœnatorio, quo tunc erat indutus, ad tribunal eius acceſſit.* Et ſic ego explico Marcum Antoninum lib. 1. καὶ τὸ μὴ ἐν στολῇ κατ' οἶκον περιπατεῖν, μηδὲ τὰ τοιαῦτα ποιεῖν. Quæ Xylander malè vertit, *domi neque veſtitu neque alijs huiuſmodi rebus utendum.* nec rectius Caſaubonus in Suetonium *ſtolam* hic pro toga capit. Sed mihi nullum dubium eſt hic Marcum per *ſtolam* veſtem cubicularem intelligere, qua cum Imperatores quidam, ut Nero, & alij, etiam in publico uterentur, Marcus nec per domum quidem ea indutus ambulabat, quod tamen uſu licitum erat. Sic & Auguſtus de quo Suetonius c. 75. *Forenſia autem & calceos numquam non intra cubiculum habuit ad ſubitos repentinoſque caſus parata.* Eodem modo Cytharædica veſtis, quæ longa & muliebris erat, ſtola vocatur a Varrone lib. 3. de re ruſtica cap. 13. *Quintus Orphea vocari iuſſit, qui cum eo veniſſet cum ſtola & cythara, & cantare eſſet iuſsus, buccam inflavit.* Perſarum quoque veſtis ſtola dicitur eamdem ob rationem. Sed de ſtolæ muliebris forma, materia & colore, latius agemus in noſtro de habitu muliebri commentario. Ἀμπεχόνιον Græci

etiam ἀναβόλαιον vocabant & ſyndonem, Latini amictorium, atque ἀναβολάδιον etiam Hieronymus in Iſaiam. Et Iſidorus: *Anabolæon amictorium lineum feminarum.* Ex quo conſtat, vtroſque humeros hoc amiculo coopertos fuiſſe. Vt igitur pallium Græcorum vtrumque humerum includebat, ita & ἀμπεχόνιον ſive ἀναβόλαιον feminarum. Vt autem toga dexterum humerum excludebat, ita ſtola, excluſo quoque eodem humero, in ſiniſtrum brachium reijciebatur; hinc ſtolam, *togam feminarum* interpretatur Acro in illud, *velatumque ſtola.* Qui igitur ex Scribis aut Phariſæis Dalmaticas geſtabant, ij amicula ſua ſtolæ matronalis forma circumijciebant, & excludentes dextrum humerum, in ſiniſtrum brachium reijciebant. Ita & Diaconi in veteri Eccleſia, qui etiam Dalmaticas portant, eodem circumiectu oraria ſua portabant; orarium enim erat amictus longus ex lino aut byſſo: vnde & flammeum nuptiale a veteri Scholiaſte Iuvenalis apud Caſaubonum ad Vopiſcum orarium vocatur. Hoc Diaconi geſtabant dextro humero & brachio περιβεβλημένον. Matthæus Blaſtares in ſynopſi Conciliorum: τοῖς διακόνοις δέδοται καὶ μόνοις περὶ λαιῷ τῶν ὤμων τοῦτο περιτιθέναι. Synodus Romana 2. ſub Silveſtro can. 6. *Vt Diaconi non eſſent amplius per parochiarum examen niſi duo, & Diaconi Cardinales vrbis Romæ ſex; ita tamen ut Dalmaticis uterentur, & pallia linoſtima lævam eorum tegerent.* Chryſoſtomus in Λειτουργίᾳ de Diacono: καὶ τὸ μὲν ὡράριον ἀσπασάμενος ἐπιτίθησι περὶ ἀριστερῷ ὤμῳ. *Et orarium oſculans imponit dextro humero.* Sed poſtea ut pro pallio Archiepiſcopali ſucceſſit zona quædam, quæ humeros ambiens amictum pallij exprimebat; ita pro ſtola hac, ſive orario vſui receptæ ſunt ſtolæ, quæ circumiectum ſolum ſtolæ aut orarij deſignabant.

Fol. 15.

T. 1. fol. 318.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Colobia monachorum & Presbyterorum laticlavia. Colobium quid. Differentia dalmaticæ & colobij. Colobia sine manicis. Colobium tunica Senatoria. Presbyteri colobijs usi. Dalmaticæ Diaconorum huius ætatis angusticlaviæ. Casulæ sacerdotum laticlaviæ, pars eius posterior in crucis formatur figuram. Clericis purpura a Concilio Narbonense prohibita. Sanctimoniales tunicas purpura distinctas gestarunt. Modus eis statutus a patribus. In Africa purpureas mitellas portarunt. In Anglia monachi diu purpura usi. Crustum. Lex Codicis Theodosiani emaculatur.

COlobia etiam Monachorum & Presbyterorum olim vnico clavo purpureo distincta, id est laticlavia erant. Clarè id docet Dorotheus Abbas Doctr. 1. Ἔχει δὲ τὸ κολόβιον ἡμῶν σημεῖον τί ποτε πορφυροῦν. τί θέλει εἶναι τὸ σημεῖον τὸ πορφυροῦν; ἕκαστος στρατευόμενος τῷ βασιλεῖ πορφύραν ἔχει εἰς τὸ χλανίδιον αὐτοῦ. ἐπειδὴ γὰρ ὁ βασιλεὺς πορφύραν φορεῖ, πάντες οἱ στρατευόμενοι αὐτῷ βάλλουσι πορφύραν εἰς τὰ χλανίδια αὐτῶν. τουτέστι τὸ βασιλικὸν ἔνδυμα, ἵνα διὰ τούτου δείξωσιν ὅτι τοῦ βασιλέως εἰσὶ, καὶ ὅτι αὐτῷ στρατεύονται. οὕτω καὶ ἡμεῖς λαμβάνομεν τὸ σημεῖον τὸ πορφυροῦν εἰς τὸ κολόβιον ἡμῶν, δεικνύοντες, ὅτι τῷ Χριστῷ ἐστρατεύθημεν καὶ χρεωστοῦμεν ὑπομεῖναι ὅλα τὰ πάθη μετὰ αὐτοῦ ὅσα ὑπέμεινεν δι' ἡμᾶς. *Habet vero colobium nostrum clavum purpureum Quidnam designat clavus ille purpureus? unusquisque Regi militans habet purpuram in sago suo; ex quo enim Rex purpuram ferre cœpit, omnes qui militant ei, immittunt purpuram sagulis suis, ut inde appareat, regios illos esse, & Regi commilitare. Sic & nos in colobio nostro purpureum clavum apponimus, ut demonstremus nos Christo commilitare, & debere tantum illius causa perferre, quantum ille nostri causa pertulit.* Ex quo patet colobia Monachorum vno clavo pur-

pureo diſtincta fuiſſe, atque ita laticlavia fuiſſe. Colobij autem deſcriptionem etiam habemus apud Ammianum Marcellinum l.14. *Poſt hæc inquit indumentum regale quærebatur, & miniſtris fucandæ purpuræ tortis confeſſiſque pectoralem tuniculam ſine manicis textam, Maras quidam nomine inductus eſt, vt appellant Chriſtiani, Diaconus, cuius literæ prolatæ, ſcriptæ Græco ſermone ad Tyrij textrini præpoſitum celerari ſpeciem perurgebat, quam autem non indicabat.* Vbi per tuniculam purpuratam ſine manicis colobium deſcribitur, non dalmatica; vt benè vidit P. Pytheus lib. 1. ſubſec. cap. 16. differebat enim dalmatica à colobio, quod dalmatica manicata erat, colobium ſine manicis. Adhæc illa anguſtis clavis diſtincta erat, vt ſupra diximus; colobium lato clavo ornatum, vt ex Dorotheo conſtat. Colobia autem clauata fuiſſe etiam videmus ex Stephani III.PP. Epiſtola ad Hilduinum: *Et vidi,* inquit, *ante altare bonum Paſtorem D. Petrum, & magiſtrum gentium D. Paulum, & nota mente illos recognoui de illorum ſurcarijs, & ter beatum D Dionyſium ad dexteram D. Petri, ſubtilem & longiorem, pulchra facie, capillis candidis, collobio indutum candidiſſimo, purpura clavato, pallio toto purpureo, auro interſtellato, & ſermocinabantur inter ſe lætantes.*

T. 5. Concil. gener. fol. 509.

Abdias lib. 9. Hiſtoriæ Apoſtol. de S. Bartholomæo: *Capillo nigro capitis eſt & criſpo, caro illius candida, oculi grandes, nares æquales & deiectæ, aures coopertæ crine, capitis barba prolixa habens paucos canos, ſtatura æqualis, quæ nec brevis nec longa poſſit adverti. Veſtitur colobio albo clavato purpura, induitur pallio albo habente per ſingulos angulos ſingulas gemmas purpureas.* Damaſus PP. in Eutychiano: *Qui hoc conſtituit, vt quicumque fidelium martyrem ſepeliret, ſine dalmatica aut colobio purpurato nullatenus ſepeliret.* Hinc vide-

videmus, haud malè Acronem latum clavum exponere κολοβίωνα ad illud e Satyra 5. l. 1. *Prætextam & latum clavum*; *latum clavum*, inquit, *purpuram, quæ in pectore extenditur Senatorum, Græci τὸ κολοβίωνα vocant.* Et Commentator Cruquij ad eumdem Horatij locum: *Latus clavus colobion Græce dicebatur, vestis quæ ad pectus magistratuum extendebatur, in formam lati clavi.* Hinc quoque tunica Senatoria colobion dicitur L. 1. Cod. Theodos. de habitu quo uti oportet intra vrbem: *Sine exceptione temporis matutini dumtaxat intra mœnia constitutus nullus Senatorum habitum sibi vindicet militarem, sed, chlamydis terrore deposito, quieta colobiorum ac pænularum induat vestimenta.* Presbyteros autem sæpe colobia portasse, testis est Epiphanius Hæresi 69. de Ario qui Presbyter erat: ἡμιφόρειον γὰρ ὁ τοιοῦτος ἀεὶ καὶ κολοβίωνα ἐνδιδυσκόμενος γλυκὺς ἦν τῇ προσηγορίᾳ. Vt igitur Diaconi angusticlavias tunicas portabant, ut Equites & alij, ita Presbyteri laticlavia colobia more Senatorum. Honorius Augustodunensis de antiquo ritu Missæ lib. 1. cap. 232. de indumentis clericorum: *Huiuscemodi vestitu etiam Senatores usi sunt, ex quibus in Ecclesiasticum vsum transierunt.* Atque hinc hodie Dalmaticæ quidem Diaconorum duobus angustis clavis ornatæ sunt: casulæ verò Sacerdotum uno clavo lato distinctæ; & posterior quidem pars clavi multis in locis in crucis figuram formatur; quia ut Tertullianus ait de Corona militis ad Christianum: *Tui Ordinis, & tui Magistratus, & ipsum Curiæ nomen Ecclesia est Christi illius. Et conscriptus in libris vitæ: illic purpura tua sanguis Domini, &* CLAVVS LATVS *in cruce ipsius.* Concilium autem Narbonense sub Recaredo Rege Clericis purpuram prohibet: *Hoc regulariter definitum est, ut nullus Clericorum vestimenta purpurea*

Apud Baronium ad annū Christi 598.

purea induat., quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem, ut sicut est deuotio in mente, ita & ostendatur in corpore; quia purpura maxime laicorum potestate præditis debetur, non Religiosis. Idem sensit Bonifacius in Epistol. ad Cathbertum 105. *Superuacuam & Deo odibilem vestimentorum superstitionem omni intentione prohibere stude, quia illa ornamenta vestium (vt illis videtur, quod ab aliis turpitudo dicitur) latissimis clavis vermium imaginibus clavata adventum Antichristi ab illo transmißa præcurrunt, illius calliditate per ministros suos introducere intra clausa monasteriorum fornicationem & luxuriam.* Sed nec cui incredibile videatur Monachos colobijs purpuratis usos; pauca de sacrarum virginum habitu dicenda sunt. Illæ igitur etiam tunicas purpura distinctas portabant. Hieronymus ad Eustochium Epist. 22. *Purpura tantum in veste tenuis, & laxius, vt crines decidant, ligatum caput, soccus vilior, vt per humeros hiacynthina maforta volitans, succinctæ manicæ brachiis adhærentes, & solutis genubus fractus inceßus: hæc apud illos tota virginitas.* Sed cum luxus harum nimium cresceret, provisum est a patribus. Concil. Toletanum x. cap. 4. de viduis quæ se Deo vovent: *Ac tunc accepta a Sacerdote vel ministro apta Religionis usui veste, seu lectulo quiescens, sive quocumque loco consistens incunctanter utatur, nec diversi coloris aut diversæ partis eadem sit notabilis vestis, nisi religiosa & non suspecta, quæ careat & varietatibus colorum & diversitatibus partium, adeo ut absque ulla suspicione transgressionis maneat apta usui sanctæ Religionis, & suo sexui competens ad testimonium probitatis: ut autem deinceps nil devocetur in dubium, pallio purpureo vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptæ Religionis.* Ita & in Africa Sanctimoniales purpureas

Tom. 8. Bibliothec. magn. f. 113.

pureas mitellas portabant teste Optato Milvetiano lib.6. Tamen in Anglia longo post tempore adhuc obtinuit mos ille, vt tam Monachi quam Moniales sumptuosis vestibus uterentur, licet reclamantibus Episcopis. Aldhelmus de virginit. *Non ergo ruituri vetita mundi ornamenta purpureæ pretiosis tincturæ muricibus colorata alumnis Cœnobij vernaculis Christi, virginibus Ecclesiæ contra Apostolica statuta & legalia scita rite ac regulariter congruere queunt.* Et paulo post: *Pudet fere quorumdam frondosam elationis impudentiam & comptam stoliditatis insolentiam, quæ in utroque sexu non solum Sanctimonialium sub regimine cœnobij conversantium, verum etiam Ecclesiasticorum sub ditione Pontificali in clero degentiũ contra Canonum decreta & regularis vitæ normam deprehenduntur, usurpatæ ob id solũ, ut crusto interducto, phalerataq; venustate carnalis statura comatur, ac altitudo corporea mẽbratim ac particulatim ornetur.* B.bliotheca Patrum T.8.f.51.

Crustum ubi expono purpuræ speciem, de qua L.11. C.Theodosiani de Scenicis: *His quoque vestibus noverint abstinendum, quas Græco nomine a Latino crustas vocant, in quibus alio admixtus colori puri rubor muricis inardescit.* vbi forte pro *crustas* legendum *crusta.* Sed ut ad cultum Monachorum & Sanctimonialium revertar, eum pulchre describit Aldhelmus idem: *Nam cultus gemini sexus huiuscemodi constat, subucula bissyna, sive hyacinthina, tunica coccinea, capitium & manicæ sericis clavatæ, gallicula rubricatis pellibus ambiuntur, antiæ frontis & temporum cincinni calamistro crispantur, pulla capitis velamina candidis & coloratis mavortibus cedunt, quæ vittarum nexibus adsutæ talotenus prolixius dependent, & ungues ritu falconum, accipitrum, seu certe ad instar calvanorum acuuntur.* Hinc Bonifacius Episcopus in Epist. ad Cuthbertum Archiepiscopum Anglorum Tom.7. fol.51.

rum eum monet, ut clericos & Sanctimoniales de tenuitate & pompa vestium argueret. Præterea ne miraretur quod alienum negotium ageret, cum sua nil interesset, quomodo & quibus modis Anglorum gens viveret, sciret se a Gregorio Papa III. sacramento adstrictum, ne conterminarum gentium mores Apostolicæ notitiæ subtraheret. Quapropter blandis admonitionibus non succedentibus, acturum se, huiusmodi vitia ne Papam laterent. Sane de tenuitate vestium Clericalium Alcuinus Athelardum Archiepiscopum, Cuthberti successorem, oblique castigat, monens, ut cum Romam vadens Carolum Magnum Imperat. visitaret, non adduceret clericos vel monachos versicoloribus & pompaticis vestibus indutos, quod non solerent Francorum Clerici nisi religiosis vestibus amiciri. In Orientali vero Ecclesia sacras virgines tam immenso luxu usas non credo: accuratum tamen earum circa vestes studium describit & notat D. Pater Chrysostomus in 1. Epist. ad Timoth. cap. 2. Hom. 8. f. 455. T. 6. in novum Testamentum.

CAPVT XIX.

Clavi aurei duplicis generis. Clavis aureis angustis usi sunt Reges Græci & primi Romani; latis vero ultimi Reges Romani & Consules ac Prætores cum triumpharent & thensas ducerent. Mantilia, stromata auro clavata.

SAtis, ut existimo, explicauimus formam & qualitatem clavi purpurei; superest, ut de clavis aureis aliquid dicamus, qui tantum purpureis præstabant, quantum purpuram aurum præcedit. Doctissimi viri, qui naturam clavorum haud satis perceperunt, credunt, clavum aureum Patagium dictum à vete-

à veteribus; ſed eorum errorem ſupra ſatis refutavimus. Vt autem claui purpurei duplicis generis erant, alij enim anguſti, alij lati erant; ita & aurei. Illis utebantur Reges Græci, & primi Romanorum uſque ad Tarquinium: his vltimi ex iſtis Regibus, ut & expulſis regibus Conſules aut Prætores, quando triumphabant aut thenſas ducebant. Sed ſigillatim de omnibus agemus, qui aut latos clavos aureos, aut anguſtos portabant. De his ut eumdem hic ordinem ſervemus quem ſupra; primo de mantilibus & veſte ſtragula dicemus. Mantilibus auro clavatis primus vſus eſt Adrianus, ut quidam dicunt, deinde Heliogabalus. Lampridius in Alexandro Severo: *Convivium neque opiparum neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit: ita tamen ut pura mantilia mitterentur ſæpius cocco clavata, aurata vero nunquam, quum hæc Heliogabalus iam recepiſſet, & ante, ut quidam prædicant, Hadrianus habuiſſet.* Vbi aurata ſunt, auro clavata χρυσόσημα, ut bene obſervant viri ſummi Iſ. Caſaubonus & Cl. Salmaſius.

Deinde Galienus mantilibus aureis ſemper ſtravit, ut Pollio ait in eius vita. STROMATA etiam auro virgata ſeu clavata fuiſſe, conſtat ex Athenæo qui lib. 7. ita ſcribit de Fol. 322. piſce quodam: γίνεται δ᾽ ὅμοιος ἰχθῦς ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ ὁ προσαγορευόμενος στρωματεὺς, ῥάβδους ἔχων δι᾽ ὅλου τοῦ σώματος πεταμένας χρυσιζούσας, ὡς ἱστορεῖ Φίλων ἐν τῷ μεταλλικῷ. *Similis in rubro mari piſcis eſt, quem ſtromateum vocant, habens per totum corpus clavos extentos aureos, ut tradit Philo in Metallico.*

CAPVT XX.

Chlamydes quædam auro clavatæ. Iis usi Reges Romani. Chlamys Imperatorum pura purpurea. Reges barbarorum chlamydes habuerunt albas clavis aureis distinctas. Pallæ aureis clavis ornatæ, nonnunquam purpureis. Palla fuit indumentum, non amictus. Palla Græcis peplum. Peplum aureis clavis ornatum. Pepli forma. Peplum mixta ex pallio & tunica vestis. Peplo vtebantur illustriores feminæ in publicum prodituræ. Palla fibulatoria tunica Romanarum matronarum habitus. Candÿs. Gallicæ pallæ. Tunicopallium. Pallæ dicuntur pallia. Palla & peplum interdum est exterior vestis. ξύστις *erat vestis purpurea, auro distincta, Tragicis propria. Palla aurata vestis Tragicorum, & omnium Dionysiacorum artificum, ac qui ad bestias damnati. In pictura veteri est cytharædus, non femina, contra Pignorium.*

INter vestes observavi chlamydes quasdam aureis clavis distinctas fuisse. Constat ex Cedreno: Νουμᾶς βασιλεύσας Ῥωμαίων, καὶ δεξάμενος πρεσβευτὰς ἐκ τῆς χώρας τῶν λεγομένων πελασγῶν, φοροῦντας χλαμύδας ἐχούσας, ταβλία ῥούσια καθάπερ οἱ ἀπὸ τῆς ἰσαυρίας χώρας, καὶ τερφθεὶς τῷ χήματι ἐπενόησε πρῶτος ἐν τῇ ῥώμῃ χλαμύδας φορεῖσθαι. Τὰς μὲν βασιλικὰς πορφύρας ἐχούσας ταβλία χρύσεα. *Numa Rex Romanorum capiens Senatores ex regione Pelasgorum, gestantes chlamydes coccineos clavos habentes, quemadmodum qui ex Isauria regione, & delectatus hoc habitu, primus Romæ instituit chlamydes portare, & ut regiæ quidem haberent clavos aureos.* Eadem habet Chronicon Alexandrinum. Ταβλία autem hic clavos esse postea latius demonstrabo. Ex quo patet, Reges Romanos portasse chlamydes auro clavatas. Sed an purpurea chlamys Imperatorum eadem forma fuerit, in dubio est. Ego magis existimo eam puram purpuream

puream fuisse. Ceterum alios Reges & Satrapas portasse chlamydes albas clavis aureis distinctas in confesso est. Clare Agathias lib. 3. de Rege Lazorum: Ἤδη δὲ ὁ Τζάθης ἅμα Σωτηρίχῳ τῷ στρατηγῷ ἐκ Βυζαντίου ἀφῖκτο, τήν τε πατρῴαν ἀρχὴν καὶ τὰ ταύτης παράσημα πρὸς τοῦ βασιλέως Ῥωμαίων, ἧπερ ἐκ παλαιοῦ νενόμισται, δεδεγμένος. εἰσὶ δέ γε ταῦτα, στέφανος χρυσοῦς λιθοκόλλητος, καὶ χιτώνιον ποδῆρες, ὑπόχρυσον, πεδίλα τε κοκκοβαφῆ, καὶ μίτρα ὁμοίως χρυσῷ τε καὶ λίθοις πεποικιλμένη. Χλαμύδα δὲ ἁλουργῆ τοῖς βασιλεῦσι τῶν Λαζῶν οὐ θέμις ἀμπίσχεσθαι. λευκὴν δὲ μόνον οὐ μέντοι παντάπασί γε κοινὴν οὕτω καὶ εἰθισμένην· ἀμφὶ γὰρ τὸ μεσαίτατον ἐκείνη χρυσῷ ὑφάσματι ἑκατέρωθεν καταλάμπεται. βασιλικὸν δὲ τὸ ἐμπερόνημα τῆς χλαμύδος λίθοις τε ἐκκρεμέσι καὶ τῇ ἄλλῃ διασκευῇ διαπρέπον. *Iam vero Tzathes una cum Soterícho Bysantio advenerat, quum paternum regnum, eiusque insignia a Romanorum Imperatore veteri more ac ritu accepißet. Sunt autem hæc, corona aurea pretiosis distincta lapidibus, & palla ad talos demissa, auro intertexta, calcei murice tincti, & mitra similiter auro & lapidibus variata. Chlamydem vero purpuream Lazorum regibus gestare fas non est, sed tantum albam, non tamen omnibus communem & consuetam. Circa medium enim illius aureus clavus intextus utrimque resplendet. Regia autem fibula chlamydis lapidibus etiam aureis inde pendulis, alioque apparatu est insignis.* Procopius etiam lib. de Ædificijs Iustiniani de Satrapis Armeniæ: Τῇ δὲ ἄλλῃ Ἀρμενίᾳ ἥπερ ἐντὸς Εὐφράτου ποταμοῦ οὖσα διήκει εἰς Ἀμίδαν πόλιν Σάτραπαι ἐφειστήκεισαν Ἀρμένιοι πέντε καὶ κατὰ γένος μὲν ἐσαὶ τὰς ἀρχὰς ἐκαλοῦντο ταύτας ἐχόμενοι αὐτῶν ἄχρι ἐς θάνατον. σύμβολα μέντοι αὐτῶν πρὸς τοῦ ῥωμαίων βασιλέως ἐδέχοντο μόνον. ἄξιον δὲ τὰ σύμβολα ταῦτα δηλῶσαι λόγῳ ἐπεὶ οὐκέτι ἐς ἀνθρώπου ὄψιν ἀφίκεται. Χλαμὺς ἐξ ἐρίων πεποιημένη, οὐχ οἷα τῶν προβάτων ἐκπέφυκεν, ἀλλ' ἐκ θαλάσσης συνειλεγμένων, πίννους τὰ ζῷα καλεῖν νενομίκασιν, ἐν οἷς ἡ τῶν ἐρίων ἔκφυσις γίνεται. Χρυσῷ δὲ ἡ τῆς πορφύρας κατελέληπτο

μοῖρα, ἐφ' ἧς εἴωθεν ἡ τῆς ἁλουργίδος ἐμβολὴ γίνεσθαι. *In altera vero Armenia, quæ trans Euphratem sita est, venit in urbem Amidam. Illi præerant quinque satrapæ Armenij, qui quidem hanc præfecturam tenent ad mortem usque, insignia autem a Romanorum Imperatore accipiunt. Opere vero pretium commemorare insignia illa, quoniam numquam in hominis conspectum veniunt. Chlamys est lanea, non tamen ex illa lana quam oves producunt, sed quæ in mari colligitur. Animalia, quæ illam proferunt, vocare solent Pinnas. Auro vero illa pars clavata est, cui solet purpura immitti.* Ex Virgilio etiam constat pallas sæpe aureis clavis ornatas fuisse:

——Pallam signis auroque rigentem.

id est, ut Servius explicat, *signis aureis* χρυσόσημον. Statius:

Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere.

Et passim apud Auctores auratæ pallę occurrunt; quamvis etiam pallæ sæpe purpura clavatæ erant. Ouidius l. 2, Fast.

Induerat Tyrio distinctam murice pallam.

Sed quodnam genus vestis palla fuerit, adhuc quærendum. Et quidem vulgata opinio est, pallam fuisse amiculum muliebre, quod stolæ superinduebatur: [a] at contra pallam indumentum fuisse non amictum probari potest ex Cornificio lib. 4. ad Herennium: *Vti cytharædus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus varijs intexta.* Ita & Varro [b] pallam recenset inter vestimenta quæ indutui sunt. Et Livius lib. 27. narrat Ptolomæo Ægypti regi dono a Senatu missam tunicam & togam purpuream, Cleopatræ reginæ pallam pictam cum amiculo. Ovidius lib. 14. Metam. de Circe:

——Pallamque induta nitentem
Insuper aurato circumvelatur amictu.

[a] *Torrētius in Horat. Sat. 2. l. 1. Fr. Franc. in Confut. animadu. A. Kerckoëtij. Aldus Manutius lib. 2. de Quæsit. per Epist. c. 2.*

[b] *Lib. 4. de L. L.*

Opti-

Optime Sidonius in Epithalamio Polemij & Arondolæ:

Squameus ad mediam thorax non pervenit alvum,
Post chalybem pendente peplo tegit extima limo
Circum palla pedes, qui cum sub veste moventur
Crispato rigidæ crepitant in syrmate rugæ.

Vbi peplum cum palla confundit, & recte quidem. Ego enim existimo pallam esse id genus vestis, quod Græci peplum appellant; ita in Glossis: *Palla* πέπλος. Etiam peplum aureis clavis distinguebant Græci, ut ostendit Lutatius ad lib. 10. Statij. Quæ autem forma pepli fuerit, cognosci potest ex Eustathio ad E Iliadis: ἔστι δὲ πέπλος καὶ ἐνταῦθα γυναικεῖος χιτὼν ὃν οὐκ ἐνεδύοντο ἀλλ' ἐπερονῶντο. *Peplum est etiam tunica muliebris, quam non induunt, sed fibulis constringunt.* Homerus σ τῆς Ὀδυσ.

Ἀντινόῳ μὲν ἔνεικε μέγαν περικαλλέα πέπλον
Ποικίλον ἐν δ' ἄρ ἔσαν περόναι δυοκαίδεκα πᾶσαι
Χρύσεαι κληῖσιν ἐϋγναμπτοῖς ἀραρῦαι.

Antinoo quidem portavit magnā perpulchram vestem variam, intus autem erant fibulæ duodecim omnes aureæ, iuncturis flexilibus aptatæ. Ad quem locū Eustathius: Πέπλον δέ φασί τινες τὸν ἐνταῦθα μέγαν καὶ περικαλλέα καὶ ποικίλον περιβόλαιον εἶναι, σκέπον τὸν ἀριστερὸν ὦμον, καὶ ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν συνάγον τὰς δύο πτέρυγας εἰς τὴν δεξιὰν πλευρὰν γυμνὴν ἐῶν τὴν δεξιὰν χεῖρα, καὶ τὸν ὦμον εἰ δὲ τοῦθ' οὕτως ἔχει τί δήποτε δώδεκα περόνας ἐχρῆν ἔχειν αὐτὸν μανδυοειδῆ ὄντα; δοκεῖ δὴ μάλιστα γυναικεῖον ἱμάτιον εἶναι ὁ πέπλος κατὰ τὰ δωρικὰ χίσον ἐπὶ μόνα τὰ ἔμπροσθεν, καὶ διὰ τοῦτο περόνας ἐθέλον πολλάς. *Peplum quidam aiunt magnum & perpulchrum & pictum pallium esse, tegens dextrum humerum, ante & pone adducens duas oras in dextrum latus; nudam sinens dextram manum & humerum, ante & pone adducens duabus lacinijs in dextrum latus, ita ut nuda relinquatur dextra manus & humerus. Si vero ita se res ha-*

bet, cur duodecim fibulis opus habet, quum ſit forma chlamydis? Videtur potius peplum eſſe veſtimentum muliebre, qualia ſunt Dorica, apertum ſolum a parte anteriore, & propterea multis fibulis indigens. Hinc conſtat dubitaſſe veteres Grammaticos, an peplum tunica, an vero pallium eſſet. Mixtum enim erat ex pallio & tunica veſtimentum, atque tunicæ & pallij vſum præſtabant, ut ait Pollux lib.7.cap.13. Etenim erat tunica fibulatoria quam feminæ illuſtres ſumebant, quando in publicum prodibant, & fibulis ad pectus conſtringebant; deinde aliud amiculum ſuperijciebant. *Idyllio 15.* Ita apud Theocritum Praxinoë primo ſumit τὴν περονατρίδα. Deinde τὠμπεχόνιον. περονατρίδα autem exponit vetus Scholiaſtes τὸ πέπλον καὶ ἔνδυμα ὅπερ πρῶτον ὑπεζώννυντο. εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ περονᾶσθαι καὶ τῇ ἐπωμίδι ἐπιλαμβάνεσθαι ὡς αἱ μακεδονίτιδες. Eodem modo Romanæ matronæ pallam & ſtolam portabant in publicum prodeuntes. Pallam autem fuiſſe fibulatoriam tunicam, ut peplus apud Græcos præter ceteros *Lib. 3.* Curtius oſtendit, qui pallam appellat Candyn Perſarum. Eſt autem Candys χιτὼν περσικὸς ὃν ἐμπορποῦνται οἱ στρατιῶται. *Perſica palla, quam fibulis conſtringunt milites.* ut Heſychius ait. Ita & Martialis Gallorum χιστοὺς χιτῶνας χειριδωτοὺς *Gallicas pallas* appellat. Quia autem palla muliebris ut & peplus Græcorum erat χιτὼν ὁμοῦ καὶ ἱμάτιον, hinc *tunico pallium* ſive *tunicapallium* compoſita voce vocabatur. Interpres Cruquij ad Horatij Sat.2.lib.1. *Palla* pro *peripodio ponitur, quod tunicopallium dici poteſt*, Servius ad 1. Æneidos:

—*Pallamque rigentem.*

Duram propter aurum ſicut & novas veſtes videmus. Significat autem tunicæ pallium (Leg. *tunico palliū*) *quod, ſecundum Varronem, Palla dicta eſſe ab irrugatione & mobilitate, quæ eſt circa finem huiuſmodi veſtium* ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Nonius:

Palla

Palla est honestæ mulieris vestimentum, hoc est tunicæ pallium. L. *tunicopallium.* Sed & absolute sæpe pallæ pallia dicuntur antiquis. Quod multos in errorem induxit, qui inde credidere pallam fuisse exterius amiculum, quod & persuadere videtur locus Horatij:

——Multæ ubi tum officient res,
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,
Ad talos stola dimissa, & circumdata palla,
Plurima quæ officiant pure apparere tibi rem.

Ex quo loco colligunt interpretes, demissæ ad terram stolæ pallam circumdatam fuisse. Sed mihi videtur ita legendum esse: *—— & circumdata palla*
Plurima.

Ita ut Horatius innuat officere stolam dimissam ad pedes, & plurima alia quæ palla circumdantur, id est, supparum, indusium, aliaque huius generis. Non nego tamen aliquando pallam ut & peplum apud Græcos pro extima veste sumi, sed numquam stolæ superijci. Haud multum pallæ absimile vestimenti illud genus fuit quod Græci ξυςίδα appellant. Erat enim & hoc ἐνδυμά τε ὁμῦ καὶ περίβλημα καὶ χιτών. *Indumentum, & pallium, & tunica,* ut Pollux ait, & fibula adstringebatur. Athenæus lib. 12. ὁ δὲ Σικελίας τύραννος Διονύσιος ξυςίδα καὶ χρυσοῦν ςέφανον ἐπὶ περόνη μετελάμβανε τραγικόν. *Siciliæ tyrannus* ξυςίδα *tragicorum vestem, & auream coronam fibulis consertam sumpsit.* Vide & Suidam. Erat autem ex purpura. Sic Aristophanis Scholiastes in nubes ξυςίδα πορφυρίδα exponit. Sed & auro distinguebatur ut palla; ita apud Pollucem ξύςις χρυσόπαςος, & alibi sæpe. Hæc autem vestis Tragicis propria erat. Hesychius: ξύςις τραγικὸν ἔνδυμα ξύςις. *vestimentum Tragicum,* ut & Palla. Ovid. *Risit amor pallamque meam pictosque cothurnos.*

Tra-

Tragici, Cytharœdi, ut & Tibicines, & omnes Dionysiaci artifices, immo etiam gladiatores, & ad bestias damnati auratas pallas & ξυστίδας portabant. Imo aliquando etiam chlamydas, lacerinas, tunicas, & alia vestium genera auro clavata, ut ex infinitis auctorum locis verum apparet, quas hic referre superfluum. Vnus Luciani locus non prætermittendus in Anacharsi: τραγῳδοὶ ὑποδήματα ἔχουσι βαρέα καὶ ὑψηλά, χρυσαῖς δὲ ταινίαις τὴν ἐσθῆτα ποικίλλουσι). *Tragœdi calceos habent graves & altos, vestem autem aureis tænijs distinguunt.* Quamvis & hic locus de tunicis paragaudijs accipi possit, quæ circa imam oram ornatæ erant multis instititis, sive loris ex auro. Nam & in pictura veteri, quæ apud Aldobrandinum est, cernitur cytharœdus longa tunica aureis segmentis ornata, indutus, quem Pignorius perperam feminam esse putat.

CAPVT

CAPVT XXI.

Matronæ auro clavatas tunicas portarunt in nuptijs & festivitatibus publicis. Aureæ viæ. Reges aliqui Græcorum & Barbarorum tunicis albis & purpureis auro clavatis usi, ut & Reges Romani. Romulus & veteres Quirites tunicas portarunt. Patagiata tunica Gracchi. Gladiatores & ad bestias damnati pretiosis vestibus ornabantur. Reges Romani tunicis auroclavatis usi usque ad Tullum Hostilium, aut Tarquinium. Palmata tunica. unde dicta. χρυσόσημος. Tunica palmata. Iovis tunica dicta. cur? In Capitolino & Palatino multæ vestes pretiosæ. Simulacra deorum vestibus aureis & purpureis ornata. Vestitores simulacrorum. fasces & virgæ simulacris deorum prælatæ. Lictor deorum. Magistratus curules quando thensas ducebant, habitu triumphali usi. Thensas ducere. Suetonio, Iuvenali, Capitolino lux. Triumphalibus viris concessum ut ludos Circenses palmatis induti spectarent. Cæsari sella aurea & vestis regia decreta. Dio eleganter emendadatus. Vestis regia toga purpurea. Confunditur cum veste triumphali. Error Plutarchi & viri docti.

NVnc de tunicis auroclavatis. Matronas auroclavatas tunicas portasse compertum est vel unico Tibulli testimonio:

Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Apuleius lib. 2. Metam. *Aurum in gemmis & in tunicis ibi inflexum, hic intextum, matronam profecto confitebatur.* Auratas illas vias nihil aliud esse quam aureos clavos supra abunde probavimus. Achilles Tatius lib. 2. de Clitophontis & Leucippes Amoribus: Ἐώνητο δὲ τῇ κόρῃ τὰ πρὸς τὸν γάμον περιδέραιον μὲν λίθων ποικίλων. ἐσθῆτα δὲ τὸ πᾶν μετὰ πορφύραν. ἔνθα δὲ ταῖς ἄλλαις ἐσθῆσιν ἡ χώρα τῆς πορφύρας; ἐκεῖ χρυσὸς ἦν. *Emebat vero puella ad nuptias monile ex varijs gemmis, vestem vero totam purpuream. In alijs vero vestibus erat via*

purpurea, auro distincta. Heliodorus lib. 3. Æthiopicῶν: *χιτῶνα δὲ ἁλουργὸν ποδήρη χρυσαῖς ἀκτῖσι κατάπαστον ἠμφίεστο. Tunica vero conchiliata talari aureis radijs ornata induta erat.* vbi non male clavos aureos radios appellat. Aurelianus etiam apud Fl. Vopiscum Humilæ vxori Bonosi dari præcipit tunicam auroclavatam subsericam librilem vnam. Vtebantur igitur matronæ hoc cultu in nuptijs & festivitatibus publicis. Nec mihi dubium, Augustas huius generis tunicis uti solitas. Illud etiam credo me facile cuivis persuasurum, Reges aliquos Græcorum & Barbarorum tunicis albis aut purpureis auroclavatis vsos. De Demetrio aperte Plutarchus, qui *χρυσοπαρύφοις ἁλουργίσιν purpureis tunicis auroclavatis*, & chlamyde Poli imagine intertexta usum asserit. Sed & Romanorum Reges ante tunicæ palmatæ inventum tales portasse tunicas existimo. Nam illorum opinioni haud accedo, qui Romulum & veteres Quirites nullas tunicas gestasse credunt. Quos aperte refellit Plutarchus, qui Romulum *ἁλουργῆ* indutum fuisse tunica tradit. Cui tamen adversatur Plinius lib. 9. cap. 39. qui Romulo tantum in trabea purpuræ vsum fuisse adserit. Cui sane plus credo hac in re quam Plutarcho & alijs Græcis. Sed ut hanc rem in medio relinquam, non dubium esse credo, Romulum vel purpuream vel albam tunicam gestasse, & quidem angustis clavis aureis distinctam. Hoc mihi suadet imago Romuli, quam ex ueteri signo expressam inveni inter schedas patris. Eam hic apponere lubet. Nam nostram de clavis vestium opinionem valide confirmat. Videmus hic Romulum ipsum non solum clavis, sed & patagio distinctam tunicam habere. Namque vt hoc addam, Patagium non est ipse clavus aureus, ut Nonius ait, idque supra probavimus. Patagiata

Manutius ex Gellio V. Octavũ Ferrarium l. 3. de re vestiaria. cap. 1.

hoc

hoc modo tunica ornatus eſt Gracchus apud Iuvenalem:

Credamus tunicæ de faucibus aurea cum ſe
Porrigit.

Nam gladiatores, ut etiam ij qui ad beſtias damnati erant, aut ad aliud ſupplicij genus in theatro producebantur, pretioſiſſimis veſtibus ſpectabiles, ut viris doctis notatum. Romulus igitur & alij poſt illum Reges tunica aureis clavis anguſtis diſtincta vſi ſunt vſque ad Tullum Hoſtilium, de quo Euſebius in Chronico: *Tullus Hoſtilius primus Regum Romanorum purpura & faſcibus vſus eſt.* Aut ad Tarquinium, qui a Tuſcis accepit tunicam palmatam, & omnem alium triumphantium cultum, ut Florus & alij tradunt. Erat ea purpurea & aureo latoclavo ornata, vnde & palmata dicta eſt, quia clavus aureus palmi magnitudine erat, ſi Feſto fides. χρυσόσημον Græci appellant, Gloſſæ: χρυσόσημον *auriclavum.* Dionyſius de Tarquinio lib. 3. Ταύτας λαβόντες οἱ πρέσβεις τὰς ἀποκρίσεις ᾤχοντο, καὶ μετ᾽ ὀλίγας ἡμέρας παρῆσαν οὐ λόγους αὐτὸ μόνον φέροντες ψιλοὺς, ἀλλὰ καὶ σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, οἷς ἐκόσμουν αὐτοὶ τοὺς σφετέρους βασιλεῖς κομίζοντες, στέφανόν τε χρύσεον καὶ θρόνον ἐλεφάντινον καὶ σκῆπτρον αἐτὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον καὶ περιβόλαιον ποίκιλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς πλὴν οὐ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι καθάπερ ἐκεῖνα ἦν ἀλλ᾽ ἡμικύκλιον. τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ἀμφιασμάτων Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, Ἕλληνες δὲ τήβεννον καλοῦσιν οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν μαθόντες. Ἑλληνικὸν γὰρ οὐ φαίνεταί μοι τοὔνομα εἶναι. *Cum hoc reſponſo Legati dimiſſi poſt paucos dies redeunt, non nuda verba tantum afferentes, ſed & principatus inſignia, quibus ſuos reges ornare conſueverant, coronam auream & ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam aureo clavo ornatam, & togam pictam, qualia Lydorum ac Perſarum reges geſtant, niſi quod non quadrata, ut illa, ſed*

figura ſemicirculi, quod veſtimenti genus Romani togas, Græci τήβεννον *appellant, neſcio unde ſumpto vocabulo; non enim mihi videtur Græcum vocabulum eſſe.* Idem alibi triumphantibus tribuit χρυσόσημον χιτῶνα καὶ ποίκιλον περιβόλαιον. Tunicam nempe palmatam & togam pictam, quæ erat toga palmis, ſtellis aut alio picturæ genere variegata, &, ut Dionyſius ait, ſemicirculari forma, ſicut omnes aliæ togæ; ſed hæc alias latius Deo iuvante; nec enim mihi doctiſſimorum virorum opinio de rotundis & quadratis veſtibus probatur, ut nec illorum qui togam haudquaquam apertam, ſed vndique concluſam fuiſſe aſſerunt. Hæc tunica palmata etiam tunica Iovis vocabatur, ut notum eſt ex notiſſimo Iuvenalis verſu:

Sat. 10. v. 36.

In tunica Iovis & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

Livius lib. 10. *Qui Iovis Opt. Max. ornatu decoratus curru aurato per Vrbem vectus in Capitolium deſcenderit.* Suetonius in Auguſto cap. 94. *Sequenti nocte ſtatim videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Iovis Opt. Max. ac radiata corona ſuper laureatum currum, bis ſenis equis candore eximio trahentibus.* Vocabatur autem tunica Iovis, quia ex Capitolio ſumebatur, ut & toga picta. Lampridius de Alexandro: *Prætextam & pictam togam numquam niſi Conſul accepit, & eam quidem, quam de Iovis templo ſumptam Prætores & Conſules accipiebant.* Capitol. de Gordiano: *Palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum privatus ſuam propriam habuit, cum antea Imperatores eam de Capitolio acciperent vel de palatio.* Erant enim in Capitolino & Palatino multæ veſtes pretioſæ repoſitæ, quibus deorum ſimulacra ſtatis diebus ornabantur. Lactantius lib. 2. *His* (Deos intelligit) *peplos*

& indumenta pretiosa, quibus usus velaminis nullus est, his aurum & argentum consecrant. Simulacra autem deorum purpureis & auratis vestibus ornari solita nemini ignotum. Hinc *vestitores simulacrorum* apud Firmicum. Egregie Tertullianus cap. 18. de Idololatria: *Ceterum purpura, vel cetera insignia dignitatum & potestatum inserta dignitati & potestatibus idololatriæ ab initio dicata habent profanationis suæ maculam, cum propterea ipsis etiam idolis induantur prætextæ & trabeæ, & laticlavi, fasces quoque, & virgæ præferantur, & merito. Nam dæmonia Magistratus sunt sæculi huius unius collegij insignia, fasces, & purpuras gestant.* Vnde discimus etiam fasces & virgas simulacris deorum prælatos fuisse. Hinc apud Senecam *lictor deorum* in fragmento: *In Capitolium perveni, pudebat publicatæ dementiæ, quod sibi varius furor adtribuit, officij alius nomina Deo subijcit, alius horas Iovi nuntiat, alius lictor est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem.* Lipsius tamen pro *lictor* scribit *fictor:* & explicat de fictoribus Pontificum. Sed hæc parergως. Nobis satis esse monstrasse palmatam tunicam Iovis appellari, quia simulacri Iovis Capitolini cultui dedicata erat.

Apud D. Augustinū lib.6.c.10. de Civitat. Dei.

L.2. Elect. cap.18.

Nunc agendum de ijs quibus tunicam palmatam pictamque togam gestare licebat. Tradit Dionysius lib. 4. Antiquit. exactis Roma regibus Iunium Brutum auctorem fuisse, ne magistratibus insignia regni concederentur: Τῶν τε παρασήμων, ἃ τοῖς βασιλεῦσι παραδέδοται πολλῶν ὄντων, εἴ τινα λυπηρὰς ὄψεις καὶ ἐπιφθόνους τοῖς πολλοῖς παρέχεται, τὰ μὲν μειῶσαι, τὰ δὲ ἀφελεῖν οἴομαι δεῖν. Τὰ σκῆπτρα ταυτὶ λέγω καὶ τοὺς χρυσοῦς στεφάνους, καὶ τὰς ἁλουργεῖς καὶ χρυσοσήμους ἀμπεχόνας πλὴν εἰ μὴ κατὰ καιρούς τινας ἑορταίους καὶ ἐν πομπαῖς θριάμβων. *E tam multis regijs insignijs, si quæ sunt invidiosa & molesta populo, partim minuenda, partim plane*

tollen-

tollenda iudico: ſceptra iſta dico, & coronas aureas, & purpureas, & auro diſtinctas veſtes, niſi ſtatis feſtis, & in pompis triumphalibus aſſumantur honoris deorum gratia. Et de triumphis quidem hic dicere ſuperſedeo, ne actum agere videar. Videndum ſolummodò, quinam dies illi feſti fuerint, quando Magiſtratibus toga picta tunicaque palmata uti conceſſum fuerit. indicat id Livius lib. 5. *Romæ,* inquit, *ſatis iam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compoſitis, turba ſeniorum domos regreſſa, adventum hoſtium obſtinato ad mortem animo expectabat. Qui eorum curules geſſerant Magiſtratus, ut in fortunæ priſtinæ, honorumque aut virtutis inſignibus morerentur, quæ auguſtiſſima veſtis eſt thenſas ducentibus, triumphantibuſque, ea veſtiti, medio ædium eburneis ſellis ſedere.* Vnde apparet Magiſtratus, curules quando thenſas ducebant, habitu triumphali uſos. Thenſas autem ducere dicebantur ij, qui in Circenſibus ludis pompam ducebant. Dionyſius lib. 7. de Pompa Circenſi: Πρὶν ἄρξασθαι τῶν ἀγώνων πομπὴν ἔστελλον τοῖς θεοῖς, οἱ τὴν μεγίστην ἔχοντες ἐξουσίαν ἀπὸ τοῦ καπιτωλίου τέ καὶ διὰ ἀγορᾶς ἄγοντες ἐπὶ τὸν μέγαν ἱπποδρομον. *Priuſquam ludorum inirentur certamina, viri, penes quos ſumma erat poteſtas, pompam dijs a Capitolio per forum deducebant in circum maximum.* Ita explico Suetonium in Auguſto c. 43. *Accidit votivis Circenſibus, ut correptus valetudine lectica cubans thenſas deduceret.* Quod inſolitum; nam curru triumphali ſolebant vehi thenſas ducentes. Sic Prætorem pompæ Circenſis ducem eleganter deſcribit Iuven.

Quid ſi vidiſſet prætorem curribus altis
Exſtantem, & medio ſublimem in pulvere Circi
In tunica Iovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non ſufficit unus.

Et

Et alibi: ——*Similisque triumpho*

Præda Caballorum Prætor sedet.

Tertullianus de Corona militis cap. 13. *Coronant & publicos ordines laureis publicæ causæ: Magistratus vero insuper aureis, ut Athenis, ut Romæ. Præferuntur etiam illis Etruscæ, hoc vocabulum est Coronarum, quas gemmis & folijs ex auro quercinis ob Iovem insignes ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt.* Hinc etiam lux Capitolino in Vita Marci: *Iam in suos tanta fuit benignitate Marcus, ut cum in omnes propinquos cuncta honoris ornamenta contulerit, tum in filium Commodum, & quidem scelestum atque impurum cito nomen Cæsaris, & mox Sacerdotium, statimque nomen Imperatoris ac triumphi participationem & Consulatum, quo quidem tempore senex Imperator filio ad triumphalem currum in Circo pedes cucurrit.* Ita enim recte emendat hunc locum clarissimus Salmasius: quamvis haud ita recte explicet, cur Commodo triumphalis currus detur. Etenim intelligendus hic locus de hac Circensi pompa, quam Commodus Consul triumphali habitu deducebat; Marcus autem pedes filio adfuit. Sic & Iuvenalis de Prætore:

——*Et præcedentia longi*

Agminis officia, & niveos ad frena Quirites.

Sed & triumphalibus viris aliquando concessum, ut omnes ludos Circenses palmatis induti vestibus spectarent. Ita Paulo Æmilio *a populo & Senatu concessum est, ut ludis Circensibus triumphali veste uteretur*, ut ait Auctor de viris illustribus. *Ita absente Cn. Pompeio T. Ampius & T. Labienus tribuni plebis legem tulerunt, ut ludis Circensibus corona laurea & omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem prætexta coronaque aurea; id ille non plus quam semel (& hoc sane nimium fuit) usurpare sustinuit.* Non ea mode- *Velleius l. 2* *Dio l. 37.*

dera-

deratione fuit Iulius Cæſar, qui τὴν στολὴν τὴν ἐπινίκιον ἐν πάσαις ταῖς πανηγύρεσι κατὰ δόγμα ἐνεδύετο, *veſtem triumphalem in omnibus ludis ex decreto geſtavit*, ut Dio tradit lib. 43. Itaque Senatus qui tum adulatione certabat, denuo ei decrevit φέρεσθαί τε αὐτὸν ἀεὶ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τὴν στολὴν τὴν ἐπινίκιον ἐνδεδυκότα, καὶ καθέζεσθαι ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου πανταχῇ πλὴν ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ἐψηφίσατο· τότε γὰρ ἐπί τε τοῦ δημαρχικοῦ βάθρου καὶ μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων θεάσασθαι ἔλαβε. *Vt ſemper etiam in ipſa Vrbe uteretur veſte triumphali, & ſederet in ſella curuli, præterquam in ludis. Tum enim ei ſeſſio in tribunitio ſubſellio cum iis, qui quoque tempore tribunatum plebis gererent, concedebatur.* Ita Dio lib. 44. Sed nec ſatis fuit ſella eburnea & veſtes palmatæ: nam cum odioſis illum honoribus prægravare vellet Senatus, tandem ei decrevit, ut ſella aurea & veſte regia uteretur. Ita idem Dio lib. eodem, ſed corruptus: ὡς δὲ καὶ τούτοις ἔχαιρε, δίφρος τε οἱ ἐπίχρυσος καὶ στήλη, ᾗ ποτὲ οἱ βασιλεῖς ἐκέχρηντο, ἐδόθη. Quod Interpres vertit, *His, quum ea Cæſar læto animo accepiſſet, additum eſt, ut ſella aurata uteretur; ſtatuaque ei poſita eſt qualis regibus quondam.* Sed hoc merito ſuſpectum eſt Caſaubono ad Suetonii librum primum, qui tentat hunc locum exponere de Cippo aliquo, nec tamen definit. Mihi videtur planiſſime legendum eſſe, καὶ στόλη ᾗ ποτὲ οἱ βασιλεῖς ἐκέχρηντο. Nam poſtquam Senatus omnes honores ſtante Rep. claris viris olim conceſſos exhauſerat, ad eos converſus eſt qui olim regibus tributi fuerant: itaque Iulio auream ſellam & veſtẽ regiam decrevit. Confirmat hoc ipſe Dio paulo poſt, dum deſcribit Cæſarẽ ab Antonio in Lupercalibus oblatũ diadema reſpuentem: Τῇ τε ἐσθῆτι τῇ βασιλικῇ κεκοσμημένος, καὶ τῷ στεφάνῳ τῷ διαχρύσῳ λαμπρυνόμενος ἐπὶ τοῦ δίφρου τοῦ κεχρυσωμένου ἐκαθίζετο. *Pro roſtris aurea in ſella conſedit, regia veſte, aureaque corona ornatur.* Vbi videmus,

ſellam

ſellam auream & veſtem regiam coniungi, ita ut nullus dubitationi locus relinquatur, quin hic locus ita reſtitui debeat. Hanc autem veſtem regiam, togam purpuream fuiſſe exiſtimo; etenim ab omni ævo purpureũ amiculum regni inſigne fuit. Ad hæc Cicero 2. Philippica hæc lupercalia deſcribens: *Sedebat*, inquit, *roſtris collega tuus amictus toga purpurea in ſella aurea coronatus.* Idem tradit, Cæſari Dictatori, quo die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti bis cor in extis defuiſſe. Quod & Plinius refert l.11.c.37. Hinc patet errare Plutarchum, dum Iulio tribuit veſtem triumphalem, cum Antonius ei diadema obtulit; nec minus viros doctos, qui togã hanc purpuream Cæſaris cum triumphali confundunt. *Ferrarius de Re veſtiaria l.2. cap.10.*

CAPVT XXII.

Poſterioris ævi Imperatoribus triumphantium inſignia tributa. Conſularis toga palmata. trabea dicta. variis ſegmentis ornata. Segmenta. Cur trabea dicta veſtis conſularis. Eam cinctu Gabino portarunt. Omnes Senatores illo tempore togam cinctu Gabino portarunt. Imperatores in conſulatu trabeas gemmatas portarunt. Schema. Exconſules in publicis ſollemnitatibus veſtes triumphales portarunt. Philoſtorgius & Sidonius emendati. Prætorij & Conſulares viri florente republica in ludis publicis prætextas conſulares portarunt. Ciceronis locus inſignis explicatus.

SVb Imperatoribus poſterioris ævi omnia triumphantium inſignia Conſulibus tributa fuiſſe in comperto eſt. Incepit hoc paulo ante Aurelianum, ut exiſtimo. Nam ante illum Conſules palmatis veſtibus uſos non invenio, niſi in deductione thenſarum, & editione ludorum. Conſularis au-

tem hæc toga, quam trabeam ſive palmatam appellabant, erat varijs ſegmentis pictis illuſtrata, ſicut trabea antiquorum trabibus ex cocco & limbo purpureo inſignis erat. Sidonius Carm. 15.

Attamen in trabea ſegmento luſerat alto
Quod priſcis illuſtre thoris.

Idem lib. 6. cap. 8. *Dixit diſpoſite, graviter, ardenter, magna acrimonia, maiore facundia, maxima diſciplina, & illam Sarranis ebriam ſuccis inter crepitantia ſegmenta palmatam plus picta oratione, plus aurea convenuſtavit.* Hinc *ſegmenta* pro trabea poſuit Ennodius in Panegyrico: *Ille,* inquit, *annus habuit Conſulem, qui Rempublicam non tam ſolicitudine quam opinione tueretur: quo in ſegmentis poſito quæ ab hoſtibus ſumpta fuerunt arma tremuerunt.* Fuit autem dicta trabea hæc veſtis Conſularis, vel quia erat his ſegmentis aureis & pictis ornata, ut trabea antiquorum, & puniceis clavis & limbo purpureo inſignis; vel potius quia Gabino cinctu portabant, ut trabeam antiquam veteres. De hac Virgilius:

Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul.

Et alibi:

Ipſe Quirinali lituo, parvaque ſedebat
Succinctus trabea.

Sic & Romulus, cui *trabeati* Epitheton Ovidius dat, opima ferens Iovi τὴν ἐσθῆτα περιζώσατο. Ita etiam Conſules poſterioris ævi palmata incinctos fuiſſe indicat Claudianus de 6. Conſulatu Honorij:

—— agnoſcunt proceres habituque Gabino
Principis, & ducibus circumſtipata togatis
Iure paludatæ iam curia ſerviet aulæ.

Idem

Idem de 4. Consulatu Honorij:

Nunc quoque quos habitus, quantæ miracula pompæ
Vidimus, Ausonio cum iam succinctus amictu,
Per Ligurum populos solito conspectior ires.

Et l.2.in Eutrop. —*Spado Romuleo succinctus amictu*
Sedit in Augustis laribus.

Et lib. 11. de laudibus Stiliconis:

Tunc habiles humeros armis Dea vestibus ambit
Romuleis, Latij sederunt pectore cultus,
Loricæque locum decuit toga.

Et sæpius apud illum atque etiam apud Corippum occurrit. Immo & omnes Senatores illo tempore togas suas ritu Gabino portabant. Cassiodorus lib.6.cap.14. *Sic nos virtutum iucundissimas laudes in cinctum Gabinum desideramus includere.* Ita enim legendum, non *cinctum Gaium*, ut editum est. Illud etiam notandum quod clarissimus Petavius ex Synesio annotavit, Imperatores, cum Consules erant, trabeas gemmatas portasse, cum alijs hoc non licitum esset. Testatur hoc præter Synesium etiam Claudianus de 3. Consulatu Honorij: *In Orat. 11. Themistij.*

——*Cinctusque mutata Gabinos*
Dives Hydaspæis augescat purpura gemmis.

Idem de 6. Consulatu Honorij.

Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu.

Idem de 4. Consulatu Honorij. ——*Asperat Indus*
Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis
Ducta virent.

& cætera, quæ prolixe sequentibus versibus exequitur. Sic & Corippus lib.4. de Consulatu Iustini:

Cuius id aspiciens radicabat purpura gemmis
Vincens luce diem.

Hinc exiſtimo Eutropio Eunucho crimini datum fuiſſe, quod in Conſulatu ſuo gemmata trabea uſus fuerat, quæ ſolis Imperatoribus dicata. Ita de eo Nicephorus lib. 13. cap. 4. ait eum accuſatum ὡς ἡνίκα εἰς τὴν ὕπατον ἀξίαν προέβη, κόσμοις παρ' ἀξίαν ἐχρήσατο, οἷς μόνῳ ἔξεσι βασιλεῖ ἀμφιέννυσθαι. *Quod cum ad Conſulatum evectus eſſet, cultu ſit uſus illam dignitatem non decente, quo ſoli Imperatores induuntur.* Sed turbat Philoſtorgius, ex quo hæc mutuatus eſt Nicephorus, qui ſcribit Eutropium reum factum ὡς ὁπόταν ὕπατος ἐγεγόνει βοσκήμασιν ἀπεχρήσατο, οἷς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐξῆν μὴ ὅτι γε μόνῳ βασιλεῖ. Quod doctiſſime Iacobus Gothofredus de equis explicat. Ego tamen exiſtimo ſcribendum in Philoſtorgio, ut cum Nicephoro concilietur, κοσμήμασι, vel σχήμασι pro τοῖς βοσκήμασι. Schema enim eo tempore appellabant togam aut trabeam. Vide Faſtos Siculos ſub Monaxio & Plinta Coſſ. Non vero ſolummodo Conſules in ipſo Conſulatu, ſed etiam Exconſules in publicis ſolemnitatibus veſtes triumphales portabant. Sidonius lib. 1. Epiſt. 5. de nuptijs Ricimeris: *Iam quidem virgo tradita eſt, iam corona ſponſus, iam palmata conſularis, iam Cyclade pronuba, iam toga Senator honoratur, iam pænulam deponit inglorius*; ubi malim legere, *iam toga Senator exoneratur.*

Corippus de Conſulatu Iuſtini:

Inceſſit lætus præclara in veſte Senatus.
Pars trabeis, pars compta togis, ut cuique probatus
Ordo locum cultumque dabat.

Ita & florente Rep. Prætorij & Conſulares viri in ludis publicis prætextas conſulares portabant. Seneca Rhetor l. 1. controv. 8. *Prætorio licet prætexta toga uti feſtis aut ſolemnibus diebus.* Cicero 2. Philippica: *Neſcis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuiſſe, te autem ipſum ad popu-*

populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur, cur non sumus prætextati? cur honorem Cæsaris tua lege datum deseri patimur? in quo loco explicando mire se torquent viri docti; nam ex eo Manutius elicit, Senatores omnes prætextatos fuisse lib.1. de quæsitis per epist.c.11.

Manutius
Ferrarius lib.2.de Re vestiar.c.2

CAPUT XXIII.

Chrysoclavus picturæ species, non clavus aureus, contra Meursium, Salmasium, alios. Χρυσοκόκκινον. Χρυσοπράσινον. Χρυσοκίτρινον, Χρυσοκλαβάρικον.

INvaluit pridem apud viros doctos ea opinio, τὰ χρυσοκλαβάρικα apud Codinum, & vestes pictas de chrysoclavo apud Anastasium, esse vestes aureis clavis distinctas. Ita Meursius in Lexico Græcobarbaro, Bulengerus de veste Pontificia lib.1.c.45. Gretserus in Codinum, Salmasius in Historiæ Augustæ Scriptores, & alij. Quod tamen mihi non plane arridet: invenio enim apud Anastasium vestes ornatas tabulis & orbiculis qui varias historias continebant, pictas de chrysoclavo. Item vestibus sæpe insertas esse cruces, rotas, & stellas chrysoclavas, ita ut picturæ potius species sit chrysoclavus, quam clavus aureus antiquorum, apud quos vestes pictæ a clavatis diversæ sunt, ut etiam annotavit Salmasius in Vopiscum. Ut igitur meam sententiam adferam, existimo Græcos, cum viderent Romanos sæpe clavum absolute pro clavo purpureo ponere, hinc clavum ἁπλῶς pro purpura dixisse. Ita in Glossario Cyrilli πορφύρα ἐνυφασμένη *clavus*. Itaque ut χρυσοκόκκινον vocabant id quod auro & cocco variatum erat, χρυσοπράσινον id quod aureis Prasini coloris licijs mixtum, χρυσοκίτρινον id quod aureo

& Citrino colore fulgebat; ita χρυσοκλαβάρικον vocarunt quidquid ex auro & purpura textum erat. Papias: *Chrysoclavus aurata purpura.* Anastasius in Leone III. *Enim vero isdem præcipuus antistes fecit in eadem Ecclesia vestem chrysoclabam cum periclysi, cum chrysoclabo, unam; sed & aliam vestem de blattin, habentem in medio crucem de chrysoclabo, & tabulas chrysoclabas quatuor cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclabas quattuor cum periclysi de chrysoclabo.* Ex quo vno loco Anastasij, ut alios omittam, satis patet, chrysoclavum non esse aureum clavum vestibus insertum, etiamsi vera esset opinio illorum, qui clavos putant esse bullas quadratas aut rotundas, ut capita clavorum esse solent.

CAPVT XXIV.

Clavi picti. Clavi tabulæ dictæ, quia tabulis longis similes erant. Salmasij & Meursij error. Seu pro &. Tabulæ ab orbiculis distinctæ. Orbiculus quid. πλούμια non sunt clavi. Plumatæ vestes. Plumeæ vestes e plumis avium confectæ.

POsteriori ævo etiam clavi picti in usu esse cœpere. Ita in Chronico Alexandrino: Φορέσας στέφανον Ρωμαίων καὶ χλαγίδιν ἄσπρον ὁλοσήρικον ἔχον ἀντὶ πορφυροῦ χρυσοῦν βασιλικὸν ταῦλιν, ἐν ᾧ ὑπῆρχεν ἐν μέσῳ στηθάρια ἀληθεῖδιν μικρὸν τοῦ βασιλικοῦ χαρακτῆρος Ἰουστίνου καὶ στιχάριν ἄσπρον παραγαῦδιν καὶ αὐτὸ ἔχον χρυσᾶ πλουμία βασιλικά. *Gestans coronam Romanorum, & lænulam albam holosericam, habens pro purpureo aureum regium clavum, in cuius medio erat imago parva Iustini in regio cultu, & tunicam albam paragaudiam, quæ ipsa habebat clavos aureos regios.* Tabulas enim illo

illo tempore appellabant clavos veſtium, ut viris doctis obſervatum. Ita in eodem Chronico: Οὗτος Νουμᾶς ὁ καὶ Πομπίλιος δεξάμενος πρεσβευτὰς ἐκ τῆς χώρας τῶν λεγομένων Πελασγῶν, φορούντων χλαμύδας ἐχούσας ταβλία ῥούσαια, καθάπερ οἱ ἀπὸ τῆς Ἰσαυρίας χώρας, καὶ τερφθεὶς τῷ σχήματι ἐπενόησεν πρῶτος ἐν Ῥώμῃ χλαμύδας φορεῖσθαι τὰς μὲν βασιλικὰς πορφυρᾶς, ἐχούσας ταβλία χρυσᾶ, τὰς δὲ τῶν συγκλητικῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν ἀξίαις καὶ στρατείαις χλαμύδας σήμαντρον τῆς βασιλικῆς φορεσίας ταβλία πορφυρᾶ ἀξίαν δηλοῦντα Ῥωμαικῆς πολιτείας. *Iſte Numa Pompilius capiens Senatores ex regione Pelaſgorum, gerentium chlamydes habentes coccineos clavos, quales Iſaurorũ ſunt, & captus illo habitu primus inſtituit Romæ chlamydes geſtare, & ut regiæ quidem clavos habeant aureos, Senatorum vero & aliorum, qui in Magiſtratibus & cum imperio ſunt, chlamydes, ſignum regij veſtitus, habentes clavos purpureos indicantes dignitatem Romanæ Reipublicæ.* Eadem habet Cedrenus. Anaſtaſius in Hormiſta: *Pallia Olobera blattea cum tabulis auro tectis de chlamyde vel ſtola imperiali.* Tabulæ autem dicebantur clavi, quia tabulis longis ſimiles erant. Nec viro doctiſſimo aſſentior, qui clavos tabulas dictas vult a forma teſſerarum aut calculorum. Tabulas enim, inquit, infimæ latinitatis auctores appellarunt orbiculos illos ligneos, quibus in tabula luditur. Et ut probet, tabulas has veſtium rotundas fuiſſe, adducit locum Anaſtaſij in Leone III. *Hic a Deo protectus venerabilis & præclarus Pontifex, fecit in circuitu Altaris B. Petri Apoſtoli nutritoris ſui tetravela rubea, holoſerica alethina, habentes tabulas ſeu orbiculos de chryſoclavo, diverſis depictos hiſtorijs.* Et alius vir doctus ſcribit Anaſtaſium alibi tabulas orbiculos interpretari. Sed illos in errorem induxit phraſis Anaſtaſij, qua ſæpe particula *ſeu* pro particula & utitur. Ita in Paſchali Primo: *Qualiter Angelus B. Cæciliam ſeu Valeria-*

Salmaſius ad Flaviũ Vopiſcum.

Meurſius in Lexico Græco-barbaro. v. ταβλίον.

num

num & Tiburtinum coronavit. Et in Gregorio Secundo: *Quem viri Romani seu omnes populi in Pontificatus ordinem elegerunt.* Zacharias Papa in Epistolis: *Domino Excellentissimo atque Christianissimo Pipino Maiori domus, seu dilectissimis nobis universis Episcopis.* Aperte vero idem Anastasius tabulas ab orbiculis distinguit in Leone III. *Pari modo ut supra & alia tretravela alba holoserica rosata Paschatiles habentes tabulas, atque orbiculos de chrysoclavo.* Et in Leone IV. *Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, & in dextra lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius Præsulis nomen est descriptum.* Tabulæ igitur erant clavi lati in veste habentes ut plurimum effigies. Orbiculi vero erant parva rotunda scuta, in quibus historiæ depingebantur, quæ vestibus inserebantur, ut ex Anastasio patet. Idem vir summus existimat πλούμια in veste esse clavos aureos intextos, cui non omnino adsentior. Credo enim πλούμια esse omne id quod in vestibus plumaria arte intextum erat, sive essent tabulæ, sive orbiculi, vel rotæ. Glossæ βασιλικῶν. πλουμία ποικιλτὰ ὑφάσματα. πλουμία, *picta textura*, atque ut orbiculi & rotæ intextæ πλουμία erant, sic etiam clavi sive tabulæ pictæ eodem nomine appellabantur. Procopius de ædificijs: Χιτὼν ἐκ μετάξης ἐγκαλλωπίσμασι χρυσοῖς πανταχόθεν ὡραϊσμένος, ἃ δὴ νενομίκασι πλούμμια καλεῖν. *Tunica serica aureis ornamentis undique distincta, quæ πλούμμια dicere solent.* In loco Chronici Alexandrini, quem paulo ante laudavimus, non confunduntur τάβλια & πλουμία generatim, sed πλουμία cum tabulis pictis. A plumijs vestes ita variatæ, dicebantur plumatæ. Lucanus: ——*Aut auro plumata nitet.*
Scholiastes Lycophronis: Τοὺς ἁπλοῦς βεβαμμένους διὰ πολλῶν
βαφῶν

βαφὰς καὶ πεποικιλμένους καὶ πλουμαρικοὺς λέγει. *Simpliciter tinctos variis coloribus & pictos etiam plumatos dicit*. Hieronymus Epist. 130. *In Exodo ceterisque locis, ubi describuntur vestes plumaria arte contextæ, opus Cherubin, id est varium atque depictum esse factum describitur*. Aldhelmus de Virginitate cap. 7. *Siquidem cortinarum sive stragularum textura, nisi panniculæ purpureis, immo diversis colorum varietatibus fucatæ inter densa filorum stamina ultro citroque decurrant, & arte plumaria omne textrinum opus diversis imaginum thoracibus perornent, sed uniformis coloris fucis sigillatim confecta fuerit: liquet profecto, quomodo nec oculorum obtutibus iocunda, nec oculorum pulcherrimæ venustati formosa videbitur*. Procopius Gazæus in lib. 2. Regum cap. 13. Χιτὼν ἀστραγαλωτός] Σύμμαχος χειριδωτός. Ἀκύλας καρπωτός ἄν τι τοὺς καρποὺς ἐνυφασμένους ἔχων· οἱ νῦν δὲ αὐτὸν καλοῦσι πλουμαρικόν. *Tunica talaris] Symmacho dicitur manicata. Aquilæ* καρπωτὸς, *quia fructus habebat intextos, hodie plumata dicitur*. Sumpsit hæc Procopius ex Theodoreti quæstionibus ad lib. Regum. Sed cur καρπωτὸς dicatur, aliam & veriorem rationem reddit Salmasius ad Vopiscum; diversæ ab his plumeæ vestes, quæ e plumis avium versicoloribus confectæ erant. De his Prudentius: —*Hunc videas lascivas præpete cursu*

Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea pennis.

Monachus Sangallens. l. 2. de gestis bellicis Caroli M. *Ceteri vero utpote feriatis diebus, & qui modo de Papia venissent, ad quam nuper Venetici de transmarinis partibus omnes Orientalium divitias advectassent, Phœnicum pellibus avium serico circumdatis, & Pavonū collis cum tergo & clunis mox florescere incipientibus, Tyria purpura vel diacedrina litra decoratis, alii de lodicibus, quidam de gliribus circumamicti procedebant:*

CAPVT XXV.

Scutulatæ vestes non sunt virgatæ, contra Salmasium. Scutulatæ vestes quæ rhombi figuram habebant. Scutulæ in pavimentis. Scutulæ lances ῥομβοειδεῖς.

SCutulatarum vestium mentio est apud Iuvenalem, Prudentium, Arrianum in Periplo Maris rubri, & alios; sed unde dicantur, magna apud eruditos quæstio. Olim enim putaverunt scutulas esse rotundas forma. Primus Turnebus lib. 27. cap. 24. dixit scutulas non esse rotunda figura, sed quadratas oblongas. Sed abit Salmasius ad Fl. Vopiscum, qui contendit scutulam idem esse quod virgam, atque hinc virgatas & scutulatas vestes easdem esse: quod sane ingeniose magis quam vere dictum est. Vt enim concedam omnes vestes scutulatas fuisse virgatas, ita negandum est, omnes virgatas scutulatas fuisse. Scutulas enim appellarunt veteres omne id quod rhombi figuram habebat. Auctor Fragmenti illius quod Censorino subiungitur ex edit. Lud. Carrionis: *Scutula, id est rhombos, quod latera paria habet, nec angulos rectos similes scutulæ.* Ita in Emplastratione Plinius iubet eximi scutulam ex Catone quatuor digitorum longitudine, & trium latitudine. Sic & in pavimentis scutulæ dicuntur, quando rhombis distinguuntur. Vitruvius lib. 7. c. 1. *Nulli gradus in scutulis aut trigonis aut quadratis, seu favis exteret.* Palladius l. 1. tit. 9. *Vel testaceum accipiant pavimentum, vel marmora, vel tesseras aut scutulas, quibus æquale reddatur, angulis lateribusque coniunctis.* Hinc & lances ῥομβοειδεῖς scutulas aut scutellas vocarũt. Mart. l. 11.

L. 17. c. 16.

Et leves scutulas cavasque lances.

Nam

Nam quod Salmaſius ait, cum ſcutellæ rotundæ fuerint, non quadratæ, ab his ſcutulatum rete & ſcutulatas veſtes dici non poſſe; profecto fugit eum ratio. Scimus enim pleraſque antiquorum lances quadratas fuiſſe, non rotundas. Iſidorus lib. 20. cap. 4. *Paropſis quadrangulum & quadrilaterum vas.* Caſſianus etiam laterculum, ad quem ſagittarij collimant, ſcutulam vocat: *Quemadmodum hi, quibus uſus eſt bellica tela tractandi, cum ante Regem artis ſuæ cupiunt peritiam demonſtrare, in parviſſima quadam ſcutula, quæ depicta in ſe continet præmia, iacula & ſagittas intorquere contendunt.* Ex his ſatis conſtare poteſt, quæ fuerit forma ſcutulatarum veſtium, quas ſæpe videmus in nummis Imperatorum Conſtantinopolitanorum. *Coll. 1. c. 5.*

ALBERTI RVBENI DE RE VESTIARIA, LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Calceus Senatoriæ dignitatis inſigne. Antiquiſsimi Romanorum omnes perones portarunt: qui Magiſtratum curulem geſſerant calceos ex aluta mulleos. Cato menda purgatus. Calcei mullei alutati, aluminati. Mullei unde nomen acceperunt. Eos geſtarunt Albanorum Reges, & Romanorum, poſtea qui curulem Magiſtratum geſſerunt, ſed tantum diebus ſolemnibus, quum ludos celebrarent. Hi calcei inter triumphantium inſignia fuerunt. I. Cæſar contra conſuetudinem ſemper ijs uſus. Cur? Mullei calcei differebant a Patriciorum calceis. Illi erant ex ſandaliorum ſive crepidarum genere. Cothurnus. Tyrrhenici Tuſci calcei. Mullei ſimiles cothurnis. Cothurnorum forma. Ad mediam uſque tibiam perveniebant. Crepidæ, ſandalia quid. Caligæ militum crepidæ. Σανδάλια calcei rubri Imperatorum Byzantinorum cothurnis mulleis ſimiles.

LOcus hic poſtulare videtur, ut cum de lato clavo Senatorio ſatis actum ſit, aliqua etiam de calceis dicamus: duo enim hæc Senatoriæ dignitatis ornamenta; unde & Horatius ea coniungit:

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impedijt crus
Pellibus, & latum demiſit pectore clavum.

Sed ut de lato clavo, ita etiam de calceis Senatorijs magna

inter

inter eruditos controverſia; dum alij rubros, alij nigros fuiſſe contendunt. Ego, quoniam nemo adhuc in hac materia mihi plene ſatisfecit, omiſſis aliorum ſententijs, hic breviter opinionem meam in medium proferam. Olim quidem in ipſo naſcentis Reip. exordio tam Senatores, quam alij, perones, id eſt, calceos cavos ex crudo corio portabant: ſoli illi qui Magiſtratum curulem geſſerant, calceos ex aluta habebant, & quidem mulleos, id eſt, rubros aut puniceos. Aperte id Cato indicat lib. 7. originum: [a] *Qui Magiſtratum curulem cepiſſet, calceos mulleos alutacinatos, ceteri perones.* Qui locus mirum in modum torquet interpretes. Quidam enim emendant, *Vncinatos*; [b] nonnulli *lunulatos* [c]; alij *mulleo calceatus* [d]. nec deſunt qui [e] *aluta cinnatos* legendum eſſe contendunt. Ego accedo ijs, qui [f] *mulleos alutatos* legunt, aut, ſi mavis, *aluminatos*: ſic enim & Marcellus [g] *pellem aluminatam* dicit. Illo igitur tempore de quo Cato loquitur, non alij calcei ex aluta in uſu erant, niſi mullei, qui vel nomen a colore mulli piſcis acceperunt, ut Iſidorus aſſerit, vel id nomen piſci illi a colore mulleorum calceamentorum datum, ut Feneſtella apud Plinium exiſtimat. Hos autem mulleos Albanorum Reges portarunt [h], deinde & Romanorum Reges. Etenim & Romulus πεδίλοις ἐκέχρητο ἐρυθροῖς, *calceis utebatur rubris*, ut Zonaras ait lib. 2. Annal. Sed expulſis regibus, & Reip. forma mutata, mulleorum uſus perſtitit penes eos qui Magiſtratum Curulem geſſerant, ſi Feſto credimus. Nec tamen exiſtimo eos ſemper & vbique ijs calceis uſos; ſed diebus ſolemnibus ſolum, ut quando ludos celebrabant, aut thenſas ducebant. Tunc enim etiam palmatam, & cetera triumphantium ornamenta portabant, ut ſupra latius diximus, cum de palmata tractavimus. Vnde credo

a *Apud Feſtum in Mulleos.*
b *Scaliger in Feſtum.*
c *Ravard. l. 1. variorum c. 8.*
d *Savaro ad Sidoniũ Epiſt. 20. lib. 4.*
e *Torrent. in Horatiũ Sat. 6. l. 1.*
f *Turneb. lib. 19. adverſ. c. 24.*
g *Apud Salmaſiũ Plinian. Exercit.*
h *Vt Feſtus ait.*

etiam calceos mulleos inter insignia triumphantium fuisse: illi enim eodem quo prisci Romæ Reges cultu utebantur, ut Dionysius tradit. Atque ita coniunguntur vestis triumphalis, & calcei punicei in veteri inscriptione de C. Mario: DE MANVBIEIS CIMBRICIS ET TEVTONICEIS AEDEM HONORI VICTOR FECIT VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICIEIS. Iulius Cæsar autem insolens in eo visus est esse, quod diebus etiam non festis mulleos calceos gestabat, nempe ut se ab Regibus Albæ oriundũ testaretur, qui ijs calceis olim vsi fuerãt. Dio l. 43. Καὶ τότε ἔτι καίπερ παρηβηκὼς ἐς κάλλος ἤσκει. τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνεβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει, καὶ ταύτῃ μὲν ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ ποτὲ γενομένους, ὡς καὶ προσήκων σφίσι διὰ τὸν Ἴουλον ἐχρῆτο. *Atque is iam provectiori iam ætate formæ studebat; delicatiori enim veste semper luxuriabat, atque iam calceamento, quo interdum quoque utebatur, alto & puniceo ex more Regum Albanorum, ad quos genus suum referebat ab Iulo.* Vbi videmus calceos Regum Albanorum mulleos fuisse, solo alto, & colore puniceo. Vnde Salmasius haud male colligit, hos mulleos eosdem fuisse cum Tuscis aut Thyrrenicis calceis. Quod si verum est, longe sane differebant mullei à patricijs aut Senatorijs Romanorum calceis, qui cavi erant, & totum pedem tegebant, cum Tyrrhenici ex sandaliorum sive crepidarum genere essent, ut Pollux & Hesychius testantur. Sane mulleos *similes esse cothurnorum* Isidorus ait. *Cothurnus* autem, ut idem asserit, *est calceamentum in modum crepidarum.* Et forte Tyrrhenici calcei ijdem cum cothurnis, cum Ovidius cothurnum Lydium appellet, id est Tyrrhenicum aut Tuscum:

Lib.19. Etymol. c.34.

Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

Sed

Sed ut hoc non auſim aſſeuerare, ita non vereor affirmare mulleos Regum Albanorum fere ſimiles fuiſſe cothurnis. Vtrique enim punicei erant, vtrique etiam ſolo alto & fulmentato, ut iam vidimus. Vtrique etiam tibiatim calceabantur, ut de mulleis prodit Titinnius apud Feſtum, de cothurnis Virgilius:

Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.

Sed optime omnium cothurnos deſcribit Sidonius in Panegyrico Anthemij de Roma Dea:

Perpetuo ſtat planta ſolo, ſed faſcia primos
Siſtitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adverſum vincto de fomite pollex,
Quæ ſtringant crepidas, & concurrentibus anſis
Vinclorum pandas texant per crura catenas.

Ex quo abunde videmus cothurnos hos, quamvis crepidæ ſive ſandalia eſſent, tamen ad mediam uſque tibiam perveniſſe. Crepidæ enim ſive ſandalia, appellantur omnia calceamentorum genera, quæ digitos pedum haud includunt, quamvis etiam medium crus tegant: ita & caligæ militum Romanorũ crepidæ erant aut ſandalia, quamvis ad mediam vſque tibiam aſcendebant, ut conſtat ex arcu Conſtantini, ubi caligam clavatam videmus, quam exhibet Ioſephus Caſtalio decade 2. obſeruat. cap. 4. Atque hinc haud male vetus Actorum interpres σανδάλια caligas vertit, ut & Gloſſæ σανδάλια caligæ. Etenim & caligæ ex ſandaliorum genere erant, quamvis tibiatim calceabantur: digitos enim pedum haud includebant. Quod non animadverterunt viri erudítiſſimi, qui magno animorum motu diſputant, an caligæ ſandalia ſint, an vero calcei cavi. Illud non poſſum hîc omittere, calceos rubros Imperatorum Byzantinorum ſimiles omnino fuiſſe cothurnis *Salmaſius ad pallium. Kerkoëtius in animadverſis.*

nis

nis mulleis Regum Albanorum; erant enim crepidæ puniceæ, ut ex Nicephoro Gregora conſtat lib. 3. c. 8. quæ tibiatim calceabantur, ut Procopius aſſerit lib. 3. de Ædificijs. Hinc non improprie Corippus cothurnos appellat:

Purpureo ſuræ reſonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis.

Vetus Gloſſarium: *cothurnus* βασιλικὴ τζαγγή.

CAPVT II.

Perones, calcei cavi ex crudo corio. Calceos ex aluta poſtea Romani geſſerunt. Perones effeminati. Mulleorum & patriciorum calceorum differentia contra Budæum, Lipſium, alios. Mullei crepidæ erant, patricij cavi. Patricijs calceis corrigiæ adſutæ & lunula.

EX his quæ diximus ſatis conſtat, calceos mulleos Regum Albanorum crepidas fuiſſe, ſive cothurnos ex aluta rubra, quos ſoli illi portabant diebus ſolemnibus, qui Magiſtratus curules geſſerant; alij autem omnes illo tempore, de quo Cato loquitur, perones portabant, id eſt, calceos cavos ὠμοβυρσίνους ex crudo corio; hinc *crudus* pero Virgilio, & *ſetoſus* Sidonio. Sed poſtea Romani omnes cœperunt uti calceis ex aluta, qui tamen ut perones cavi erant, & totum pedem tegebant, quos ideo Tertullianus *perones effeminatos* vocat, quia crudi perones magis viriles ſunt. Patricij tamen calcei à plebe differebant; portabant etenim calceos patricios, quos omnes recentiores, Budæus, Revardus, Briſſonius, Lipſius, Petavius ad Themiſtium, & alij cum mulleis confundunt; ſed male meo iudicio. Si etenim omnes patricij ijs utebantur, non video, quare Iulius Cæſar notatus fuerit, qui ὑποδέσει ἐρυθροχρόῳ κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ

ποτε

ὁπότε ἐρυθρομβύας ἐχρῆτο. *Calceamento puniceo utebantur, quale olim Reges Albani gestarunt*. Iulium enim Patritium fuisse omnes norunt. Adhæc mullei erant crepidæ, vt aperte probavimus, cum omnes calcei vrbani Romanorum, tam Patritij qui plebeij, cavi essent, ut totum pedem tegerent, ut omnes confitentur. Vnde miror Festum scribere: *Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus Regum Albanorum primi, deinde Patritij usi sunt*. Nisi forte illos solum patritios intelligit, qui magistratus curules gesserant. Isidorus sane, qui multa ex optimis auctoribus habet, patritios a mulleis diversos facit. Separatim enim vtrosque describit: *Mullei*, inquit, *similes sunt cothurnorum solo alto, superiore autem parte cum osseis vel æreis malleolis, ad quos lora deligantur: dicti autem sunt a colore rubro, qualis est mulli piscis*. De patritijs ibidem: *Patritios calceos Romulus reperit quatuor corrigiarum, assutaque luna. Iis soli Patritij utebantur, luna autem in ijs non sideris formam, sed notam centenarij numeri significabat, quod initio Patritij Senatores centum fuerint*. Vbi duo notat in calceis Patritijs eximia, quatuor nempe corrigias, & lunulam adsutam; vt & Zonaras qui calceos Patritiorum alijs diversos fuisse ait: τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος. *Inflexione lororum & nota littera*.

CAPVT III.

Patritij calcei quatuor corrigias habuerunt, quæ ad medium crus perveniebant. Dempsteri & Marcilij error. Plebeij unicam tantum ligulam, Patritij quatuor habebant. Lora patritia Martialis obscurus locus illustratus. Extrema ligula. Corrigiæ in calceis patritijs & Senatorijs ex nigra aluta. Non totus calceus niger, sed ligula tantum. Non læsum pedem coccina aluta cingit. Coccini calcei ex Parthicis pellibus. eorum vsum sibi soli Imperatores vindicarunt. Corrippus correctus. Calcei patritiorum vel albi erant, vel coccinei, vel aurati, vel κεντητοί.

PAtricij igitur calcei quatuor corrigias sive ligulas habebant, quæ ad medium vsque crus perveniebant, quod Horatius innuit:

Nam ut quisquam insanus nigris medium impedijt crus
Pellibus.

Ad quem locum Acro: *Et circumdedit medium crus, quia altiores sunt calcei Senatorum.* Vbi satis apparet, Acronem non loqui de altitudine soli, ut male existimãt Dempsterus ad Rosinum l. 5. c. 36. Marcilius ad Persium, & alij; sed de altitudine ipsius calcei, qui altius crus tegebat quam plebeius. Cum enim calcei plebeij unicam tantum ligulam sive corrigiam haberent, qua religabãtur: Patritij quatuor corrigiarum erant, ut Isidorus ait, quæ inter se implexæ ad medium usque crus ascendebant. Ita Zonaras l. 2. Annal. Patritiorum calceos insignes fuisse ait τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος. atque has corrigias Seneca *lora patritia* vocat lib. de Tranquillitate animæ cap. 11. *Quæ dignitas cuius non prætextam & augurale, & lora patritia, & sordes comitentur, & exportatio, & notæ, & mille maculæ, & extrema contemptio?* & ita in antiquo prope portam

Numentanam prætor qui mappam mittit, habet calceos cavos, quorum corrigiæ inter ſe implexæ vſque ad ſuras aſcendunt. Vide apud Philippum Rubenium lib. 1. Elect.cap. 30. Ex his quæ diximus forſitan explicari poteſt difficillimus Martialis locus lib. 2. Epigr. 29.

Rufe, vides illum ſubſellia prima terentem,
Cuius & hinc lucet ſardonychata manus:
Quæque Tyron toties epotavere lacernæ,
Et toga non tactas vincere iuſſa nives.
Cuius olet toto pinguis coma Marciliano,
Et ſplendent vulſo brachia trita pilo.
Non extrema ſedet lunata ligula planta,
Coccina non læſum cingit aluta pedem.
Et numeroſa linunt ſtillantem ſplenia frontem
Ignoras quis ſit? ſplenia tolle, leges.

Vbi illud, *non extrema ſedet*, male habet: omnes interpretes, & alij quidem ſubſtituunt, *non heſterna:* alij, *non externa:* quidam etiam illud, *non extrema*, conantur exponere, ſed inuito Apolline. Ego exiſtimo hic a Martiale ligulam illam, quæ in pede ſedet, non extremam dici, quia Stigmatias ille, in quem invehitur Martialis, calceos patritios quatuor corrigiarum portabat, atque ita ligula illa infima, quæ pedem tangit, haudquaquam extrema erat, cum contra in calceis plebeijs extrema eſſet: illi enim non habebant alias illas ligulas, quæ inter ſe implexæ vſque ad ſuras aſcendebant. Has autem corrigias in calceis patritijs & Senatorijs ex nigra aluta fuiſſe indubitatum eſt. Horatius:

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impedijt crus
Pellibus.

An vero totus calceus niger fuerit, dubitari poteſt, cum

 Hora-

Horatius ſolummodo loquatur de parte calcei, quæ crus tegebat, id eſt de ligulis ſive corrigijs: imo ex Iuvenali contrarium elici poteſt: nempe haudquaquam totum calceum, ſed partem ſolummodo ſuperiorem ad tibias pervenientem nigram fuiſſe; ait enim Satyra 7.

Adpoſitam nigræ lunam ſubtexis alutæ.

Si enim lunula hæc, quæ circa talos adſuta erat, ſubtexebatur nigræ alutæ, ergo pars quidem calcei, quæ ſupra talos erat, & crus impediebat, ex nigra aluta erat; non illa quæ talos & pedem tegebat. Ad hæc verbero ille apud Martialem, qui omnia Patritiorum ornamenta ſibi arrogabat, pedes cingit coccina aluta:

Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Vbi & illud notandum, quod Martialis reprehendit in eo, quod *non læſum pedem* coccina aluta cingit. Etenim illi qui pedes læſos habebant, ſine reprehenſione coccina aluta uti poterant. Parthicæ enim pelles, ex quibus coccini calcei concinnabantur, molliſſimæ erant, atque ideo læſis pedibus aptæ; quamvis poſtea cum Imperatores ſoli vindicarunt ſibi coccinos calceos, alijs omnibus interdictus fuerit illorum uſus. Corippus de Caligis Imp. Conſtantinop.

Parthica Campano dederant quæ tergora fuco
Sanguineis prælata roſis, laudata rubore,
Lectaque pro ſacris tactu molliſſima plantis.

In libris M.SS. eſt:

Parthica campago dederant quæ tergora fucus.

Videndum an forte legendum ſit:

Parthica campago dederant quæ tergora fucis
Sanguineis prælata roſis.

De campagis paulo poſt agemus. Sed ut ad calceos nigros rever-

revertamur, Scholiaſtes Iuvenalis ad Satyram 1. negat, Senatores tempore Iuvenalis nigros calceos portaſſe. *Illo enim tempore*, inquit, *necdum Senatores nigris calceis utebantur.* Quando autem ijs uſi ſint, poſteà dicemus. Vnde mihi perſuadeo, corrigias quidem & lora patritia ex nigra aluta fuiſſe; non vero ipſos calceos; qui vel albi erant, vel coccinei, vel aurati, vel etiam κεντητοί. De albis calceis Martialis lib. 7. Epigr. 32.

Sordidior cœno cum ſit toga, calceus autem
Candidior prima ſit tibi Cinna nive.

De coccinis idem:

Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Et hos quidem etiam mulleos vocarunt deinde a colore, quamvis multum diverſi eſſent a forma mulleorum, quibus Albani Reges uſi ſunt. De Auratis & κεντητοῖς Epictetus cap. 61. Enchridij: Καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ ὑποδήματος ἐὰν τὸν πόδα ὑπερβῇς γίγνεται κατάχρυσον ὑπόδημα εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητόν. *Vt & in calceo ſi ultra pedem progreſſus fueris, fit auratus calceus, deinde purpureus, deinde acu pictus.* ad quem locum Simplicius: Ταύτην δὲ ἦν ὡς ἔοικε παρὰ Ῥωμαίοις καὶ περὶ τὰ πορφυρᾶ καὶ κεντητὰ περιεργία, ὥστε καὶ τῶν καταχρύσων αὐτὰ προτιμᾶσθαι. *Tanta videtur apud Romanos in conficiendis calceis purpureis & acu pictis fuiſſe curioſitas, ut auratis etiam præferrentur.* κεντητὰ autem ὑποδήματα ſunt quæ arte Phrygionis laborata ſunt & acu picta, ut Salmaſius ait in Fl. Vopiſcum. D. Chryſoſtomus Homil. 22. ad populum Antiochenum: Καὶ γὰρ πολλοὶ πρὸς τοῦτο βλακείας καὶ ἀσωτίας ἐξώλισθον, ὡς καὶ τὰ ὑποδήματα καλλωπίζειν, καὶ πάντοθεν αὐτὰ ποικίλλειν οὐχ ἧττον ἢ τὰς ὄψεις ἑτέρων. *Eo mollitiei & luxuriæ multi prolapſi ſunt, ut etiam calceamenta varijs coloribus fucent, & ubique pingant, non ſecus ac alij vultus.* Et hæc quidem ſentio de calceis patritijs

Romanorum, à qua opinione non admodum abit doctiſſimus Petavius in Notis ad Orationem 14. Themiſtij.

CAPVT IV.

Lunula patritij calcei ornamentum. Cur ijs adſuta. Error Zonaræ & Ioannis Antiochenſis. Lunula hæc non fuit fibula eburnea lunæ corniculantis ſpecie. Fibulæ ſuperiori parti pedis appoſiti. Vncinati & lunati calcei confuſi. Salmaſius refellitur. Lunulæ talis appoſitæ. ἐπισφύριον non fuit fibula. Heroum ocrea ex candido ſtanno: illarum ornamenta circa malleolos ἐπισφύρια. Lunulæ patritiorum erant eburneæ ad formam mediæ lunæ. Lunatis calceis utebantur tantum Senatores patritij: ſed & ij, qui patritij generis erant, ante Senatoriam ætatem. Calcei Senatorum, qui non patritij erant. Similes fere erant patritijs, excepta lunula. Differebant etiam in flexione ligularum.

Alterum patritij calcei ornamentum erat lunula adſuta, de qua videndus Plutarchus problem. 86. ubi diverſas eius rei rationes ponit, quarum tamen nulla placet viris doctis, qui magis probant eam quam Iſidorus aſſignat: *Luna autem*, ait, *in eis non ſideris formam, ſed notam centenarij numeri ſignificabat, quod initio Patritij Senatores centum fuerint.* Vnde male Zonaras, qui, cum alibi legiſſet, littera centenarium numerum deſignante calceos patritios ornatos fuiſſe; id de R. littera interpretatus eſt, quæ apud Græcos nota eſt numeri illius. Nec diſſimilis error Ioannis Antiochenſis, cuius locus extat apud Cl. Salmaſium in Notis ad Pollionem, & ad ſcriptionem Regillæ. Communis Doctorum opinio hoc inſigne calcei patritij fuiſſe fibulam eburneam lunæ corniculantis ſpecie in malleolo pedis. Ita Alexander ab Alexandro cap. 18. lib. 5. Cœlius Rhodiginus lect. Antiqua-

quarum lib. 20. cap. 26. Pierius lib. 44. Hieroglyph. cap. 23. Isaacus Grangæus in Satyram 7. Iuvenalis, & alij. Quæ sententia quamvis haud tam absurda est, ut eam existimat M. Zuerius Boxhornius; tamen mihi haud omnino probatur. Video enim in antiquis statuis fibulas calceorum non apponi malleolis pedum, sed in superiore parte pedis. Isidorus de mulleis: *Superiore autem parte, cum ossеis vel æreis malleolis ad quos lora religantur.* *Ad quæst. Rom. Plutarchi fol. 132.*

Alij per lunulam patritiam uncinum intelligunt, in fronte prima calcei infixum, unde uncinatos sive repandos calceos cum lunatis confundunt. Ita Cl. Salmasius in Notis ad dedicat. statuæ Regillæ, & M. Zuerius Boxhornius, quos satis refellit Philostratus, dum ait, lunulas has non in parte anteriore calcei, sed circa talos & malleolos pedis fuisse appositos. Totum illius locum adscribam, quia nemo plenius patritias lunas describit. Sic igitur ille lib. 2. de Vitis Sophistarum in Herode Attico: Ἐπὶ τούτοις ὡς ἀληθέσι γράφεται αὐτὸν φόνου Βραδούας ὁ τῆς Ῥηγίλλης ἀδελφὸς εὐδοκιμώτατος ὢν ἐν ὑπάτοις, καὶ τὸ ξύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι, τοῦτο τέ ἐστιν ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές, καὶ παρελθὼν ἐς τὸ Ῥωμαίων βουλευτήριον, πιθανὰ μὲν οὐδὲν διῄει περὶ τῆς αἰτίας, ἣν ἐπῆγεν, ἑαυτοῦ δὲ ἔπαινον ἐμακρηγόρει περὶ τοῦ γένους. ὅθεν ἐπικόπτων αὐτὸν ὁ Ἡρώδης, σὺ ἔφη, τὴν εὐγένειαν ἐν τοῖς ἀστραγάλοις ἔχεις. id est: *Ob hæc, quasi vera essent, ipsum accusat Braduas Regillæ frater, celeberrimus inter Consules, & nobilitatis notam appositam calceis gestans; hæc vero nota est* ἐπισφύριον *ex ebore, lunæ instar. Inde cum in Senatum Romanum venisset, nihil probabile de crimine quod accusabat enarravit, sed laudes suas prosapiæ suæ longo sermone produxit; unde Herodes irridens eum: Tu, inquit, nobilitatem in pedum malleolis habes.* Vbi videmus, lunulam Patritiorum fuisse ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές. Sed diffi-

difficultas vertitur in voce ἐπισφύριον, quæ etiam extat apud Homerum Iliados γ. & Iliad. τ.

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλὰς ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Quos versus ita reddit Eobanus Hessus:

——tum cruribus aptat
Ære renidentes ocreas, quas fibula loris
Arctabat niveis.

Et sic etiam omnes lexicographi recentiores τὸ ἐπισφύριον fibulam ocrearum exponunt. vnde Cælius & alij etiam lunulam patritiam fibulam esse existimarunt; sed obstant omnes veteres Grammatici, qui aliter hanc vocem interpretantur. Didymus: ἐπισφυρίοις] τοῖς τῶν σφυρῶν καλύμμασιν, *malleolorum tegumentis*. Hesychius: ἐπισφύρια τὰ καλύπτοντα τὰ σφυρὰ ἐπισφύρια, *quæ tegunt malleolos*. Vide etiam Eustathiũ, & alios. Vnde arbitror, antiquorum Heroum ocreas, quæ erant ἑανοῦ κασσιτέροιο, id est, ex candido stanno, ut Homerus, circa talos aut malleolos pedum ornamenta quædam habuisse ex argento vel auro, quæ Homerus ἐπισφύρια vocat, quia malleolos pedum tegunt. Atque ita etiam Patritios Romanorum calceos eodem in loco ornamentum eburneum ad formam mediæ lunæ habuisse, quod a Philostrato ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδὲς vocatur. Vnde in veteri inscriptione, quæ dedicationem statuæ Regillæ continet, hi calcei dicuntur πέδιλα ἀστερόεντα περὶ σφυρά. Omnes versus qui ad hanc rem faciunt apponam, quia unice opinionem nostram confirmant:

Αὐτὰρ ὁ ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ παιδὶ πέδιλα
Δῶκεν ἔχειν τὰ λέγουσι καὶ Ἑρμάωνα φορῆναι
Ἦμος ὅτ' Αἰνείαν πολέμου ἐξήγαγεν Ἀχαιῶν,
Νύκτα διὰ δνοφερήν. ὁ δὲ οἱ περὶ ποσσὶ σαωτὴρ

Παμ-

Παμφανόων ἐνέκειτο σεληναίης κύκλος αἴγλης
Τόνδε καὶ Αἰνεάδαι παρεναρράψαντο πεδίλῳ
Σύμβολον Αὐσονίοισιν εὐηγενέεσσι γεραιόν.
Ὥς μιν ἐκόσμησεν καὶ Κεκροπίδην περ ἐόντα
Πορσηνῶν ἀρχαῖον ἐπισφύριον γέρας ἀνδρῶν.

Quos ſic vertit illuſtris Salmaſius:

At princeps lunata pedum dat vincula nato:
Qualia Mercurius quondam geſtaſſe putatur,
Cum flamma Æneam, belloque eduxit Achivûm
Per noctem: at multa cum luce ſalutifer illi
Circulus hærebat pedibus, lunæ æmulus orbi.
Quem talo adſutum mox nexuit Æneadum gens,
Nobilibus clarum Auſoniis inſigne futurum
Cecropidem quamvis, Graiaque ab gente profectum,
Hunc, talare decus Tuſcorum exornat avorum.

Lunatos hos calceos portabāt omnes Senatores Patritij, ut a novitijs diſtinguerentur. Interpres Iuvenal. ad illud Sat. 7.

Adpoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ,

Patricius Senator eſt, nam adſuta calceis lunulæ diſcernuntur Patritij a novitijs. Sed & Patritij ante ætatem ſenatoriam, immo ante prætextam depoſitam, lunulas habebant in calceis. Papinius lib. v. Sylvarum:

Sic te clare puer genitum ſibi Curia ſenſit,
Primaque patritia clauſit veſtigia luna,
Mox Tyrios ex more Sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Supereſt ut videamus, quibus calceis Senatores, qui non erant Patritij, uſi fuerint florente Imperio. Nam ſane haudquaquam lunatos fuiſſe eorum calceos, ſatis in confeſſo eſt, & tamen diverſos fuiſſe à plebeijs, ex Cicerone conſtat 13. Philippica: *Eſt etiam Aſinius quidam Senator volunta-*

luntarius, lectus ipse a se, apertam curiam vidit post Cæsaris mortem, mutavit calceos, Pater Conscriptus repente factus est. Servius Senatores crepidas olim gestasse ait ad illud ex 8. Æneidos:

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis:

Tusca calceamenta: & dicit crepidas, quas primo habuere Senatores, post Equites Romani, nunc milites: alij calceos Senatorios volunt, quia hoc genus calceamenti a Tuscis sumptum est. Quæ vera sunt, si illa restringamus ad Senatores, qui Magistratus curules gesserant. Si enim, ut supra diximus, aliquando gestabant crepidas mulleas, quæ similes Tuscis calceamentis, ut Salmasius probat. Neque aliter Servius explicari potest; alij enim Senatores omnes semper calceos cavos portabant; crepidæ enim antiquis temporibus semper probrosæ Senatoribus. Vide D. Petavium ad Orat. 14. Themistij, Ioannem Sarium Zamoscium in Tractatu de Senatu Romano, ubi Servij sententiam damnat, quam tamen defendere conatur H. Magius lib. 3. Miscellaneorum cap. 3. Mihi sane indubium videtur, Senatores Romanos florente Imperio calceos cavos portasse, atque eos quidem haudquaquam multùm dissimiles patriciorum calceis, si lunulam eburneam excipias, quæ propria patriciorum. Etenim & corrigias illas nigras habebant, quæ crus tegebant. Horatius:

Nam ut quisquam insanus nigris medium impedijt crus
Pellibus, & latum demisit pectore clavum.

Tamen etiam aliqua differentia fuisse videtur inter calceos Patricios, & Senatorios in ipsa inflexione ligularum: quod elicio ex Zonara lib. 2. Annal. ubi de Servij Tullij regno agens, ea occasione, quod Regem illum plurima plebi indulsisse dixerat, addit, eum aliquos etiam ex plebe

in

in Senatum legiſſe; qui olim quidem plurimis in rebus deteriore quam patritij jure uſi fuerint. Tandem vero, ſi inter regnum & Sacerdotia quædam excipias, exæquati ſunt Patricijs, ita ut calceis ſolummodo differrent: Τοῖς γὰρ εὐπατρίδαις, inquit, τὰ ὑποδήματα ἀστυκὰ καὶ τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων, καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος ἐκεκόσμηντο. *Patritij habebant calceamenta quæ & inflexione corrigiarum & nota littera ornabantur.*

CAPVT V.

Calcei Senatorij mutati ſub Imperatoribus. Caligas ſumpſerunt pro cavis calceis. Campagis ea fere ſimiles erant. Campagis Diaconi Romani uſi. Origo huius moris. Forma multum differebant a calceis Patritijs florentis imperij contra Salmaſium. Campagi fuerunt ſandalia. Amalarius emendatus. Campagi intrinſecus ex albo corio erant, extrinſecus nigri, & Conſulum illius temporis calcei. Candido linteamine illuſtrabantur. Fuerunt inciſi. Campagi reticuli. Sandalia quædam apud Græcos inciſa. Pedules. Vdones. Ὀδώνια. *Pedules Senatorum & Clericorum ex lino, aliorum ex lana. Conſtantianæ Donationis lux.*

HÆc vero forma calcei Senatorij, quam modo deſcripſimus, mutata fuit ſub Imperatoribus poſterioris ævi; tunc enim caligas ſumpſerunt Senatores. Cyprianus, ſive quis auctor eſt carminis in Senatorem Iſacum:

——Caligaque remota
Gallica ſit pedibus molli redimita papyro.

Ex quo ſatis liquet, Senatores illo tempore, abdicatis calceis cavis, caligas portaſſe, quod ſane non fecerunt florente Imperio, quo milites ſoli caligas habebant, ut notum eſt; non tamen has Senatorum caligas ſimiles omnino fuiſſe caligis militaribus exiſtimo; ſed ex illo caliga-

rum genere, quas posterior ætas Campagos appellavit, qui sane haud multum diversi erant a caligis. Vnde Iulius Capitolinus, caligam & campagum confundit in Maximinis: *Nam*, inquit, *cum esset Maximinus pedum, ut diximus, octo, & prope senis, calceamentum eius, id est, Campagum regium, quidam in luco, qui est inter Aquileiam & Arziam, posuerunt, quod constat pede maius fuisse hominis vestigio atque mensura; vnde etiam vulgo tractum est, quum de longis atque ineptis hominibus diceretur, Caliga Maximini.* Non tamen omnino similes inter se fuisse campagos & caligas testatur Trebellius Pollio, qui caligas & campagos distinguit de Gallieno: *Caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret.* Senatorias autem caligas campagos fuisse, colligi potest ex Iuliano veteri Novellarum interprete, qui in Novella 126. ubi interdicitur Advocatis & alijs, ne, cum causas agunt non præsente Imperatore, dignitatis suæ insignia assumant, togam nempe & calceos; ibi calceos hos campagos exponit. Hi campagi postea Diaconis Romanis concessi sunt. Papias: *Campagi calceamenti genus, quo utebantur Diaconi Romani, vel quibus a Pontifice concessum est.* Recte: etenim & Messinenses Diaconi ex priuilegio Pontificum campagos portabant. D. Gregorius lib. 7. Epist. 28. *Pervenit itaque ad nos, Diaconos Ecclesiæ Catanensis calceatos campagis procedere præsumpsisse. Quod quia nullis hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo Diaconis Ecclesiæ Messanensis, quibus olim a prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, bene recolitis.* Vide Alb. Puciolum de antiquo iure Siculæ Ecclesiæ cap. vlt. Natus autem hic mos, ut Diaconi Romani calceis Senatorijs, sive campagis uterentur, a Constantino Magno. Ille enim, si donationi

eius

eius credimus, Clericis Romanis calceos Senatorios concessit. Verba Donationis sunt: *Et sicut noster Senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est, candido linteamine illustratis, sic utantur & Clerici.* In Græco est: ὑποδήματα ἤτοι σανδάλια λευκὰ διὶ ὀθονίων. Vbi satis videmus, calceos, sive campagos Senatorios illorum temporum, sandalia fuisse, non calceos cavos; unde forma multum differebant a calceis Patritijs florentis Imperij, quamvis contrarium videatur Cl. Salmasio in Trebellium. Etenim & Amalarius Ecclesiast. Offic. lib. 2. cap. 18. sandalia Episcoporum campagos vocat. *Quia,* inquit, *usque ad pedes Beda pervenit differendo de lineis vestibus, congruum est, ut nosmetipsi absolvamus de sandalijs, sive, ut alio nomine, campagis, qui supersunt in pedibus.* Ita legendum, non *campobis*, ut editum est. Idem cap. 25. Sandalia hæc Clericorum, quæ a Campagis Senatorum fluxerint, accurate describit, ut & Honorius Augustodunensis in Gemma animæ lib. 1. c. 210. Vbi inter alia tradunt, albo corio intrinsecus circumdata fuisse sandalia hæc, extrinsecus vero nigra fuisse: unde facile existimo, etiam Senatorios campagos hac forma fuisse; etenim & Scholiastes Iuvenalis cum negat Senatores Iuvenalis tempore nigris calceis usos, satis ostendit, id suo tempore in usu fuisse; sic enim scribit ad illud ex Satyr. 1. *T. 9. Bibl. Patrum. fol. 339.*

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis:

ostendit plus honoris videri in calceis, quam in persona; illo enim tempore nondum Senatores nigris calceis utebantur. Sed obstare videntur verba Donationis Constantinianæ, ibi enim vocantur hi campagi ὑποδήματα ἤτοι σανδάλια λευκὰ διὶ ὀθονίων; unde vulgo existimant, sandalia hæc fuisse alba, ex lino. Sed verba Latinæ Donationis evincunt, quæ non alba fuisse ipsa calceamenta, sed candido linteamine illu- *V. Bulengerum de veste Pontificiali, cap. 14.*

ſtrata oſtendunt. *Et ſicut noſter Senatus calceamentis utitur cum udonibus, id eſt, candido linteamine illuſtratis.* Vnde cenſeo, campagos hos inciſos fuiſſe ἢ πολυσχιδεῖς, ut & olim ſandalia quædam apud Græcos, de quibus Cephiſodorus: Σανδάλια τι τῶν λεπτοσχιδῶν. *Sandalia ex tenuiter inciſorum genere.* Ita Honorius Auguſtodunenſis de campagis ſive ſandalijs Epiſcoporum: *Eſt autem genus calceamenti inciſi, quo pes partim tegitur, partim nudus cernitur.* Hinc Gallienus *campagos reticulos* appellabat: *Quia interciſi erant, ut æſtivi calcei hodieque ſunt multifores*, ut ait Caſaubonus in Notis ad Trebellium. Quam rationem improbari à Salmaſio haud mirum ſane, cùm ille credat, campagos eoſdem eſſe cum calceis antiquis patritijs. Sed præter hos campagos ita interciſos habebant etiam Senatores & Clerici pedules ſive udones ex lino, qui tranſparente per inciſuras calceamentorum candido linteamine, campagos illuſtrabant. Hoc patet ex verbis Conſtantinianæ Donationis, ſi recte ea intelligamus: *Et ſicut noſter Senatus calceamentis utitur, cum udonibus, id eſt, candido linteamine illuſtratis.* Vdones ſive ὀδώνια, ut viri docti obſervant, ſunt τὰ περιαπτόμενα τοῖς ποσὶν ὑφάσματα. Videndus Salmaſius in Notis ad Ælium Lampridium. Meurſius in Lexico Græco barbaro ὀδώνια. Cum autem alij portarent udones ex lana, Senatores, & eorum imitatione Clerici Romani, portabant pedules ex lino, ut ex hoc loco apparet, & ex Amalario lib. 2. de Eccleſiaſt. officijs cap. 18. *Sicut per linum, quo pedes veſtiuntur, caſtigatio pedum ſignificatur; ita per ſandalia profectus ad prædicandum.* Atque ita calceamenta candido linteamine illuſtrabantur, & erant λευκὰ δὲ ὀθονίων, ſive ὀδονίων.

Apud Pollucem l. 7. c. 22.

In Notis ad Trebellium.

CAPVT

CAPVT VI.


Variæ eruditorum de togæ forma, & veſtibus quadratis ac rotundis opiniones. Veſtes quadratæ, quæ quatuor angulos habebant, duos in ſuperiori, duos in inferiori ora. Pallia Græcorum & aliarum gentium quadrata, & χλαῖνα veterum heroum. Rotundarum veſtium in ſolo expanſarum circularis forma. quarumdam ſemicircularis, aliarum laciniosa.

COnſequens videtur, ut cum de lato clavo & calceis Senatorijs abunde actum ſit, aliquid etiam de toga dicamus, cuius ſtructuram, quamvis a Quintiliano & Tertulliano accurate deſcriptam, viri docti ita implicarunt, ut ſe extricare non poſſint, ſed irretiti hæreant, non ſecus ac Agamemnon apud Tragicos. Nolo hic ſigillatim commemorare quæ de togæ ſinu, tabulis, vmbone ſcripſerunt, quia, ut ingenue fatear, magna eorum pars captum ingenij mei excedit. Adeat ſi quis volet Sigonium lib.3. de iudicijs, Aldum Manutium lib.2. de quæſitis per epiſtolas, Claudium Salmaſium in Tertulliani pallium, cum animadverſis Kerkoëtij, & confutationibus Franciſci Franci, Ioannem Mercerium, Edmundum Richerium, & Ludovicum Lacerdan in eiuſdem Tertulliani libellũ, & noviſſimum Octavij Ferrarij Commentarium de Re veſtiaria. Quos inter ſane non vereor ſymbolam conferre. Nam ſi nec ipſe ſcopum attingo, facile veniam impetrabo, homo Belga, craſſoque ſub aëre natus, cum viri omnis eruditionis & antiquitatis peritiſſimi, immo & ipſi Itali, quibus tot ſtatuæ togatæ ex ruinis vrbium ſuperſtites ob oculos continuo verſantur, longius aberrent.

Togæ forma quænam fuerit, controverſum eſt inter

viros doctos. Manicatam fuiſſe Crinitus adſerit: contra Manutius & alij, quorum ſententia melior. Petrus Victorius, & Carolus Sigonius togam quadratam fuiſſe adſerunt, decepti male intellecto Athenæi loco. Marcellus Donatus partim rotundam, partim quadratam fuiſſe: contra Manutius, Salmaſius, Ferrarius, alijque, rotundam fuiſſe contendunt, quibus favet Tertullianus, qui togam *teres pallium* appellat, & interpres Perſij, atque Iſidorus, qui togam deſcribunt: *pallium purum forma rotunda & fuſiore*. Adſtipulatur etiam Quintilianus, *ipſam togam rotundam eſſe, & apte cæſam velim*; Dionyſius vero Halicarnaſſeus ἡμικύκλιον τῷ σχήματι fuiſſe clare adfirmat. Sed ut meam hac de re opinionem proferam, pauca primum de quadratis & rotundis veſtibus dicenda ſunt; nam nec illi etiam qui togam rotundam eſſe ſentiunt, bene exponunt, ut mihi quidem videtur, quænam differentia ſit inter ve-
L.1.Anim-adv.c.13. ſtes quadratas & rotundas. Hadrianus Iunius exiſtimat veſtes quadratas adſimiles fuiſſe dalmaticis noſtrorum Diaconorum; rotundas vero ſemicirculari forma, ut indumenta Presbyterorum. Claudius Salmaſius in Tertulliani pallium cenſet eas veſtes, quæ circa imas oras apertæ non erant, ſed vndique concluſæ & commiſſæ, rotundas dictas eſſe; quadratas vero a ſummo ad imum apertas. Vide etiam Franciſcum Francum in Confutat. animadverſ. Kerkoëtij. Quæ opinio oppugnatur ab A. Kerckoëtio in animadverſis ad Tertullianum de Pallio, qui etiam ſuam opinionem de veſtibus quadratis & rotundis adfert in Maſtigophoro tertio, quem vide, ſi lubet. Sed Octauius Ferrarius lib. 1. de Re veſtiaria cap. 4. ab his omnibus diſſentit, & novam ſententiam hac de re dicit. Ego, omiſſis clariſſimorum virorum altercationibus, exiſtimo amicula qua-

quadrata fuisse, quæ ex panno quadrato constabant, & quatuor angulos habebant, duos in superiori, duos in inferiori ora. Tale erat pallium Græcorum & aliarum gentium. Ita Deuteronomij cap. 22. *Funiculos in fimbrijs facies per quatuor angulos pallij tui, quo operieris.* Et Exod. 15. *Loquere filijs Israël, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias vel angulos palliorum.* Tertullianus l. 1. de Pallio: *In viris autem pallij extrinsecus habitus & ipse quadrangulus* Et hi quatuor anguli facile conspiciuntur in statua Euripidis marmorea, quæ videri potest in prima editione imaginum Vrsini.




Ita & χλαῖνα veterum heroum, ut Ammonius ait, erat τετράγωνον ἱμάτιον. Atque hoc simplicissimum erat vestis genus; nullo enim artificio conficiebatur. Vnde Tertullianus de Pallio: *Prius etiam ad simplicem specta telam eius.* Contra, rotundæ vestes, quæ amictui erant, ita conficiebantur, ut in solo expansæ non quadratæ essent, sed circulari forma, ut pallia nostra, quibus vulgo utuntur. Non tamen existimo, omnes rotundas antiquorum vestes in terra extensas plenum circulum implevisse; sed quasdam semicirculares fuisse, alias circinato orbe laciniosas anguloso procursu, ut de chlamyde Macedonica ait Plinius. Quam tamen inter rotundas vestes vulgo recensent. Etymologicon: Χλαμὺς δὲ τὸ περιφερὲς καὶ κυκλοειδὲς τὸ ἐν συνηθείᾳ λεγόμενον σαγμάντιον; sed ut meliùs figuram togæ ostendam, pauca de chlamyde prætermittenda.

CAPVT VII.

Chlamydis forma. Fibula constringebatur in dextro aut sinistro humero, vel circa pectus. πτέρα, πτερύγια. Thessalica chlamys a Macedonica non fuit diversa. Non quadratæ solum vestes πτέρα habuerunt. Chlamydes Macedonicæ a Romanis & Græcis non fuerunt diversæ. Chlamys Macedonica non undique claudebatur. erat fibulatoria. Chlamydis usus a Macedonibus. Inferius erat rotunda, superius contracta.

FOrmam vero chlamydis facile adsequi possumus ex Strabone l. 1. qui terræ habitabilis σχῆμα χλαμυδοειδὲς, *formam chlamydi similem* constituit, ut & ex Plinio, qui tradit Dinocharem Architectum Alexandriæ aream designasse *ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyrato laciniosam, dextra levaque anguloso procursu.* Obscurius Plutarchus in Alexandro, qui de

de eadem re ita ſcribit: Ἐν πεδίῳ μελαγγείῳ κυκλοτερῆ· κόλπον ἦγον οὗ τὴν ἐντὸς περιφέρειαν εὐθείαι βάσεις, ὥσπερ ἀπὸ κρασπέδων εἰς σχῆμα χλαμύδος ὑπελάμβανον ἐξῆς συνάγουσαι τὸ μέγεθος; ex quibus omnibus ſtatuere licet chlamydem hac fere figura fuiſſe.



Chlamydis autem ora deſignatur litteris A & B. fibula infrænebatur in dextro aut ſiniſtro humero, vel circa pectus, ut Theſſali illi equites apud Heliodorum. Anguli vero chlamydis erant partes illæ C & D. litteris ſignatæ, quas etiam πτέρα & πτερύγια a ſimilitudine pinnarum vocabant. Ita Heſychius, & alij Grammatici Græci: Θετταλικὰ πτέρα· τοῦτο εἴρηται διὰ τὸ πτέρυγας ἔχειν τὰς Θεσσαλικὰς χλαμύδας. πτέρυγες δὲ καλοῦνται αἱ ἑκατέρωθεν γωνίαι διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυξι. *Θετταλικὰ πτέρα dicuntur, quia chlamydes Theſſalæ habent angulos. πτέρυγες enim dicuntur anguli ab vtraque parte, quia ſimiles ſunt angulis.* Atqui Theſſalicam chlamydem a Macedonica haudquaquã diverſam fuiſſe exiſtimo: vnde corruit doctorum virorum opinio, qui exiſtimant quadratas ſolum veſtes πτέρα habuiſſe. ijdem concedunt, chlamydem rotundum

fuiſſe

fuiſſe veſtimenti genus. Nec mihi placet clariſſimi Salmaſij opinio, qui putat Macedonicas chlamydes a Romanis & Græcis diverſas fuiſſe, atque has quidem apertas fuiſſe, Macedonicas vero vndique concluſas, atque ideo rotundas. Sed nullum inter chlamydem Macedonicam & Græcam aut Romanam diſcrimen fuiſſe ſatis indicat Strabo, Plutarchus, & Diodorus, qui Alexandriæ urbi, quam Dinochares Architectus, ut Plinius ait, ad effigiem chlamydis Macedonicæ metatus eſt, ſimpliciter chlamydis figuram tribuunt. Adhæc, chlamydem Macedonum non vndique clauſam fuiſſe, ſed fibulatoriam, & a latere apertam, evincit Plutarchus, qui de Alexandro ait: Τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα λύσας ἐπέβαλε τῷ σώματι. *Solvens ſuam chlamydem iniecit corpori.* Adſtipulantur etiam omnes gemmæ veteres quæ Alexandrum referunt, fibulatoria chlamyde amictum. Chlamydis autem uſum primi Macedones invenerunt, ab illis vicini Theſſali & Arcades acceperunt; vnde poſtea ad cæteros Græcos, & deinde ad Romanos tranſijt. Erat vero in inferiori quidem parte rotunda, ſed in ſuperiori parte contracta. Vnde Ammonius ait, eam in infima ſolum parte rotundam fuiſſe. Verba eius ſunt: Εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται.

CAPVT

CAPVT VIII.

Toga Romana non forma sed magnitudine differebat a chlamyde. Salij paludati. Pompeius chlamydem Alexandri Magni non Macedonum more portavit, sed in togæ speciem humeris circumiectam. Manutij & qui eum sequuntur sententia, togam fuisse undique clausam exploditur. Αὐτοψία *non ostendit togas fuisse clausas. Apertæ erant. Togæ descriptio, circumiectus. Statua togata Ph. Rubenij per litteras exposita. Quintilianus emendatus. Altius quam iunctura.*

TOgam Romanam haud multum forma a chlamyde diversam fuisse, sed magnitudine solum & circumiectu existimo. Fundus opinionis meæ in Artemidoro lib 2. cap. 3. Τὰ δ' αὐτὰ καὶ Ῥωμαϊκὴ ἐσθὴς τὴν νῦν Τήβεννον καλοῦσιν ἀπὸ Τημένου τοῦ Ἀρκάδος, ὃς πρῶτος τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα τοῦτον περιεβάλλετο τὸν τρόπον, εἰσπλεύσας κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον καὶ ὑποδεχθεὶς ὑπὸ τῶν ταύτῃ κατοικούντων, ἀφ' οὗ μαθόντες καὶ οἱ ἐγχώριοι τὸν αὐτὸν ἐσκευάσαντο τρόπον, καὶ ἐκάλουν τὴν ἐσθῆτα Τημένιον, ἐπώνυμον Τημένου τοῦ εὑρόντος. ὕστερον καὶ χρόνῳ διαφθαρὲν τὸ ὄνομα Τήβεννος ἐκλήθη. *Eadem significat & vestis Romana, quam nunc Tibenum vocant, a Timeno Arcade, qui primus suam chlamydem hoc modo circumdedit, quum per sinum Ionium navigasset, & ab his qui istic habitant suscepta esset, a quo indigenæ edocti eodem modo præparaverunt, & vestitum Timenium vocarunt, cognominem Timeno inventori. Verum posterioribus temporibus corrupto nomine Tibenus appellatus est.* Vnde & Salias, quæ choros agebant, τηβέννας, sive trabeas ἐμπεπορπημένοι, ut Dionysius tradit; paludatas, id est chlamydatas fuisse Festus adserit: *Salias*, inquit, *virgines Cincius ait esse conductitias, quæ ad Salios adhibeantur, cum apicibus paludatas. Quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere in Regia paludatas cum apicibus in modum Saliorum.* Addi his pos-

poſſunt quæ ex Suetonio Faſti Siculi & Cedrenus ac Suidas ſcribunt de chlamydis vſu a Numa invento. Adhæc Appianus tradit, Pompeium in triumpho ſuo chlamyde Alexandri M. amictum fuiſſe χλαμύδα ἔχων ὡς φασὶν Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος. Quam tamen, ut exiſtimo, non Macedonum more portabat fibula adſtrictam, ſed in togæ ſpeciem humeris circumiectam, ut alij triumphantes togam pictam, atque ut Ammonius de chlamyde tradit: εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται: ita etiam togam Dionyſius affirmat ἡμικύκλιον τῷ σχήματι *ſemicirculari forma* fuiſſe. At ſi verum eſt, ut ego exiſtimo, togæ ſchema fere χλαμυδοειδὲς fuiſſe, ſane corruit Manutij opinio, qui togam cenſet fuiſſe veſtimenti genus a ſummo ad imum clauſum. Quem tamen tam vnanimiter viri docti ſequuntur, ut Sigonium temeritatis condemnent, qui togam apertam fuiſſe adſerere auſus fuit. Immo etiam nugari eos dicunt, qui cum Sigonio togam apertam faciunt, ac refelli αὐτοψία. Ego ſane Romæ & alibi multas ſtatuas togatas accurate contemplatus ſum, ſed ſane αὐτοψία non me docuit togam fuiſſe undique concluſam; niſi forte quis pallia noſtra concluſa eſſe adſerat, ſi laciniam dextra in lævum humerum conijciamus. Nec video, qua ratione ritu Gabino togæ lacinia incingebantur, nec quomodo Scipio Naſica lævam manum potuit apertæ togæ circumdediſſe, ſi toga undique clauſa fuit. Nam non ſatisfacit mihi Ferrarius, & alij, qui hunc nodum diſſolvere nituntur. Adhæc & ipſe togæ circumiectus, quem Quintilianus & Tertullianus deſcribunt, probat togam apertam fuiſſe. Quintilianus, Tertullianus, & Gloſſæ veteres Perſij, ita graphice togæ circumiectum deſcribunt, ut per illorum veſtigia veram togæ ſtructuram comprehendere haud magnopere difficile; cum præſertim tot ſtatuæ ſuperſtites ſint, quæ nobis

Lib. 1. de quæſitis per Epiſt. cap. 11.

Vide Ferrarium l. 1. de Re veſtiaria. Franc. Francum in cōfutat. animadv. A. Kerkoëtij. fol. 48.

bis eam ob oculos ponunt. Ex quibus ego, ut & ex antiquis Scriptoribus, verum togæ circumiectum eruere conabor. Quamvis Patruus meus Philippus Rubenius lib. 1. Electorum cap. 17. tam accurate hæc præstiterit, ut mirum sit, viros omnis antiquitatis & eruditionis apprime gnaros post inventas fruges adhuc βαλανοφαγεῖν. Sed immaturus obitus non permisit illi totam togæ formam plene describere. Itaque succedere enitar & spicas ab eo derelictas legere. Glossæ veteres in Persium, & ex ijs Isidorus ita togam definiunt: *Toga est pallium purum forma rotunda & fusiore, & quasi inundante sinu, & sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur, cuius similitudinem in operimentis simulacrorum vel picturarum adspicimus, easque statuas togatas vocamus.* Plenius Quintil. l. xi. amictum oratoris describens, togæ structuram exhibet: *Ipsam togam*, inquit, *rotundam esse, & apte cæsam velim, aliter enim multis modis fiet enormis. Pars eius prior medijs cruribus optime terminatur, posterior eadem portione, altiùs quam cinctura. Sinus decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum ducitur velut balteus, nec strangulet nec fluat. Pars togæ, quæ postea imponitur, sit inferior. Nam ita & sedet melius, & continetur. Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat; tum sinus inijciendus humero, cuius extremam oram reiecisse non dedecet. Operiri autem humerum cum toto iugulo non oportet; alioqui amictu fiet angustus, & dignitatem, quæ est in latitudine pectoris, perdet. Sinistrum brachium eousque allevandũ est, ut quasi normalem illum angulum faciat, super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat.* Sed accuratissime omnium Tertullianus cap. 5. de Pallio quod cum toga comparat: *Prius etiam ad simplicem specta telam eius, nullo tædio constat, adeo nec artifice*

necesse

necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignet; dehinc diluculo, tunica prius cingulo correpta (quam præstabat moderatiorem texuisse) recognito rursus umbone, &, si quis exorbitavit, reformato, partem quidem de lævo promittat; ambitum vero eius, ex quo sinus nascitur, iam deficientibus tabulis retrahat a scapulis, & exclusa dextera in lævam adhuc congerat cum alio pari tabulato, in tergo devoto, atque ita hominem sarcina vestiat. Qui loci Tertulliani & Quintiliani magnam omnium oculis nebulam offuderunt, quam dispellere conabor.

Quintiliani igitur & Tertulliani ætate, (nam de antiqua toga inferius agemus) togam χλαμυδοειδέα & apertam, forcipibus primo in rugas & tabulas contrahebant. πτερύγιον sinistrum togæ de lævo promittebant, quæ pars mediis cruribus optime terminatur, ut Quintilianus ait, deinde circumdabant, & brachio dextro subijciebant, ac rugas in sinistro humero formatas inde deducebant in tilias, id est, in tenues tabellas: quæ tabulata congregatio fulciebat redundantiam togæ, & a sinistro humero usque ad dextrum brachium perveniebat: deinde sub humero sinistro, ubi iam tabulata illa congregatio deficiebat, retrahebant togam a scapulis, eamque duplicabant, ita ut pars illa retracta a scapulis, atque in rugas conglomerata, a sinistro ad brachium dextrum duceretur velut balteus; & imposita togæ parte de lævo promissa constringeretur; summa vero ora togæ, ab humero dextro descendens, paulo supra imam togæ oram in humerum recurrens, lævum inundantem sinum efficeret. Sed ut hæc liquidius pateant, proponã statuam togatam a patruo meo publicatam; & per indices litteras spero me facile lectori veram togæ struturam ac περιβολὴν ob oculos positurum.

A. Pars


ICONISMVS STATVÆ TOGATÆ.
Pag. 169
G
B
E
F
H
A
C
Corn. Galle sculp.

A. Pars togæ prior medijs cruribus optime terminatur. Quintilianus.

B. Rugæ quæ pridie ab exordio formabantur,& inde deducebantur in tilias.

C. Tabulata congregatio, quæ redundantiam togæ fulcit. Tabulæ vel tiliæ dicuntur μεταφορικῶς, a tabulis aut a pugillaribus, quæ in tenues tabellas aut tilias ſcindebantur; quarum formam hæ plicæ referebant.

D. Ambitum vero eius,ex quo ſinus naſcitur, iam deficientibus tabulis (id eſt, ubi tabulata illa congregatio finitur) retrahat a ſcapulis. Tertullianus.

E. Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur, velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat. Quintilianus. qui inde deducitur in humerum dextrum cum pari tabulato.

F. Pars togæ, quæ poſtea imponitur, ſit inferior; nam ita & ſedet melius & continetur. Quintilianus. Atque hic formatur vmbo togæ.

G. Tum ſinus inijciendus humero, cuius extremam oram reieciſſe non dedecet. Quintilianus,

H. Ambitum vero eius, ex quo ſinus naſcitur, iam deficientibus tabulis retrahat a ſcapulis, & excluſa dextra in lævam adhuc congerat(nempe balteum) cum alio pari tabulato in tergo devoto. Tertullianus. id eſt, inferiori ſinus, qua etiam in plicas contrahitur.

H. Tabulatum in tergo devotum, quod altius quam cinctura terminari debet, ſi Quintiliano credimus, qui ita ſcribit: *pars eius prior* (id eſt πτερύγιον togæ, quod ab anteriori parte eſt) *medijs cruribus optime terminatur,poſterior* (id eſt alterum πτερύγιον, quod in tergum reijcitur) *eadem portione* (aut *proportione) altius quam cinctura*. Sed cum in

 omni-

omnibus ſtatuis antiquis hæc pars togæ multum infra cincturam deſcendat, hæc lectio mihi ſemper ſuſpecta viſa eſt. Itaque libenter legerem: *altius quam iunctura*, id eſt, quam crurum aut genuum iunctura, ut fere apparet in ſtatuis antiquis. Ita Ovidius:

Tum genuum iunctura riget.

Nam mihi numquam perſuadebit Ferrarius cincturam poni pro toga cincta.

CAPVT IX.

Ora extrema veſtimenti pars ſumma & ima. Lacinia cum ora confunditur a Cuiacio. Lacinia pinnæ chlamydis, & togæ. πτερύγια, κράσπεδα.

VT hæc quæ de circumiectu togæ, & ſupra de cinctu Gabino dicta ſunt, plenius intelligantur, intelligendum quid ſit ora & lacinia. Et de ora quidem nullum dubium eſt, eam eſſe extremam veſtimenti partem, & fuiſſe duplicem, ſummã nempe & imam. De lacinia maius dubium. Neque bene definitum a viris eruditis. Beroaldus in 1. librum Apuleij Metamorphoſeon, ait, laciniam eſſe partẽ veſtimenti flexuoſam ſinuoſamque. Ita & Elmeuhorſtius in Indice Apuleiano, & alij, laciniam veſtis cum ora confundunt. Ita Cuiacius lib. 12. obſervat. cap. 24. ubi laciniam exiſtimat eſſe oram, ſive extimum veſtis. Ego credo laciniam nihil aliud eſſe quam ipſas pinnas chlamydis ſive togæ; Græci πτερύγια appellãt, & aliquando κράσπεδα, quamvis & aliquando κράσπεδα pro fimbrijs ſumantur, quia nempe extremitati laciniæ ſæpe fimbriæ attexebantur. Id autem notare laciniam, clare patet ex antiquorum Auctorum locis. Plautus in Mer-

Mercat. ſcena 2. Actu 1. verſu 16. *At tu ædepol ſume laciniam, atque abſterge ſudorem tibi.* Et in Aſinaria, Actu 3. ſcæna 2. v. 41. *Lacrimantem lacinia tenet.* Suetonius in Claudio cap. 15. *Illud quoque a maioribus natu audiebam, adeo cauſidicos patientia eius ſolitos abuti, ut deſcendentem e tribunali non ſolum voce revocarent, ſed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenſo, retinerent.* In Caio cap. 35. *Ita ſe proripuit e ſpectaculis, ut calcata lacinia togæ præceps per gradus iret.* In Nerone cap. 19. *Circuitis templis, cum in æde Veſtæ reſediſset, conſurgenti ei primum lacinia obhæſit.* Plinius lib. 5. cap. 5. *Aliſmatis folia lacinioſa magis quam plantaginis.* Pollux lib. 5. cap. 4. Ἔστι δέ τι ἄρκυος μέρος, καὶ ἀκρολένια, ὅπερ ἐστὶ τὰ περιττὰ τῶν ἀρκύων, ἃ οἱ μὲν κράσπεδα, οἱ δὲ πτερύγια ὠνόμασαν. Plutarchus in Gracchis de Scipione Naſica: Τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Laciniam togæ imponens capiti:* Valerius Maximus de Piſone, qui Titum Equitum Præfectum, quod loco fugitivis ceſſerat, his ignominiæ generibus affecit: *Juſſit eum toga laciniis abſciſſis amictum, diſcinctaque tunica indutum, nudis pedibus a mane in noctem uſque ad principia per omne tempus militiæ adeſſe.* *Lib. 11. c. 7.*

CAPVT X.

Tiliæ & Philyræ vincula ex tenuibus membranis, inter corticem & lignum tiliæ: tranſlate cuiuſvis generis membranulæ. Tabulæ. Tiliæ in toga quæ. Reiecta eorum ſententia, qui arcas tiliacias exponunt. Tiliæ & tabulæ dictæ. Ratio huius appellationis.

Αὐτοψία modo nos docuit quid ſint tiliæ in toga. Iam dudum viris eruditis animadverſum, a Plinio lib. 16. cap: 14. tilias & philyras vocari vincula ex tenuibus membranis, quæ inter corticem & lignum tiliæ reperiuntur; hinc & cuiuſvis generis membranulas tenues, quamvis compoſitas ex

alia materia, tilias aut philyras appellabant. Plinius lib.13.cap, 11. de Papyro. *Præparantur ex eo chartæ diviso acu in prætenues, sed quam latissimas philyras.* Quas philyras Plinius paulo post tabulas appellat lib.13.12. *Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua.* Videndus Politianus c.72. Miscellaneorum. Pari similitudine Tertullianus prætenues illas plicas, quæ in statuis togatis a sinistro humero per tergum & scapulas sub brachium dextrum ducuntur, tilias sive philyras appellavit, quas & tabulas vocant. Nec enim accedo sententiæ eorum qui [a] per tilias intelligunt hic arcas tiliacias, in quibus forensia vestimenta condi solebant, teste Columella. Quamvis vero non sim nescius, Scaligerum [b] & Salmasium [c] aliter hunc locum Plinij legere, an recte alij viderint, mihi non est animus hic extra orbitam evagari; nec de papyri confectione longum sermonem texere. Si cui tamen coniectura Salmasij placet, qui in Tertulliano talias pro tilijs reponit, non repugno. Sufficit mihi digito ostendere quas Tertullianus in toga tilias seu tabulas appellet. Has easdem tabulas appellat idem Tertullianus cap. eodem de pallio: *Nihil de tabularum fide laborat.* & c.1. *Exinde tunicam longiorem cinctu arbitrante suspenditis, & pallij iam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis.* quæ translatio ducta est a tabellis eburneis aut tileaceis, in quibus scribi solebat quæ pro numero πτυχῶν, quibus constabant, aut δίπτυχα, aut τρίπτυχα, aut πολύπτυχα appellabantur, ut & Salmasius observavit.

a *Io. Hieronymus Sopranes in Davide digress. 1. disput. 3. c. 1. §. 13.*
b *In animadvers. cõtra Guilandinum membro 16*
c *In Hist. Augustæ Scriptores fol. 444.*

CAPVT

CAPVT XI.

Vmbo non fuit ſinus, non nodus quo toga in humero conſtringitur: non fuit in anteriore & poſteriore parte veſtis: non centrum plicarum contra Caſaubonum: ſed tumor togæ circa humerum ſiniſtrum. Vmbo clypei. Quintilianus, Tertullianus, Curius Fortunatianus explicati. Palla non habet vmbonem. In Appulei coniectura. Artifex nodus Error veteris Perſij Scholiaſtæ. Vmbo in prætextis purpuratus.

NVnc de vmbone pauca dicenda, in quo explicando viri docti valde æſtuant. Nam quidam [a] vmbonem cum ſinu confundunt, alij [b] nodum eſſe aſſerunt, quo toga in humero conſtringebatur: quidam etiam non infimi nominis viri vmbonem aiunt tam in anteriore quam poſteriore parte veſtis fuiſſe; atque ita ſingulas togas geminos vmbones habuiſſe, anteriorem vnum, alterũ a tergo, ſed lautiorum ac elegantiorum hominum togas ſolummodo habuiſſe vmbones, non Ciceronis, ac aliorum. Caſaubonus ait, centrum fuiſſe plicarum. Sic enim inquit: *Lautiorum toga componebatur, ut corrugata in multa πτύγματα clypei ſpeciem præberet, cuius centrum proprie appelletur vmbo.* Si libri eius de Re veſtiaria, quos promittit, lucem vidiſſent, non nunc magnopere laborandum eſſet de tota hac materia, ut exiſtimo. Vide etiam quæ ſcribit Ferrarius lib. 1. cap. 6. de Re veſtiaria. Optime omnium Lipſius, qui ait, Latinos veſtis poſitum qui ad pectus exibat in tumorem, vmbonem vocaſſe. Cui adſentior; & exiſtimo vmbonem dictum fuiſſe partem illam togæ, quæ circa humerum ſiniſtrum in varias rugas contracta deſcendebat in pectus, & imponebatur balteo illi, qui ſub humero dextro ad ſini-

a *Marcil. & Lacerda in Tertull. pallium.*

b *Mercer. & Salmaſ. ad Tertul. pallium.*

ſiniſtrum ducebatur, atque ita vmbonem cingebat. Vt enim vmbo dicebatur σιδηρε͂ς κόγχος, quæ aptabatur clypeo ſupra duplex tabulatum, Polybio teſte; ita etiam vmbo dicebatur in toga pars illa togæ quæ imponebatur duplicatæ togæ, & vmbonis quidē partem de lævo ita promittebant, ut infra balteum ipſum deſcenderet. Clare Quintilianus: *Pars togæ quæ poſtea imponitur, ſit inferior* (nempe qui balteus) *nam ita & ſedet melius, & continetur.* Sed clariſſime Tertullianus de pallio: *Adeo nec artifice neceſſe eſt, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti vmbonis fragmentum cuſtodibus forcipibus adſignet. Dehinc diluculo tunica prius cingulo correpta (quam præſtabat moderatiorem texuiſſe) recognito rurſus vmbone, & ſi quid exorbitavit reformato, partem quidem de lævo promittat: ambitum vero eius, ex quo ſinus naſcitur, iam deficientibus tabulis retrahat a ſcapulis, &c.* De ambitu ex quo ſinus naſcitur iam deficientibus tabulis, paulo poſt dicemus. Vt vmbonem abſolvam, Curius Fortunatianus lib.3. poſtquam definivit, quomodo tunica cingenda ſit, deinde quærit, quomodo balteus togæ vmbonem decenter cingat: *Quemadmodum cingemur? nec ſubmiſſe nec ſuccincte. Quid in vmbone? nec fluxe nec adſtricte.* Quintilianum ſequitur, qui ita de balteo togæ, qui vmbonem cingit: *Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum ducitur velut balteus, nec ſtrangulet nec fluat; pars togæ, quæ poſtea imponitur, ſit inferior.* Hinc & Apuleio lux affulget, qui ſcribit lib.11. Metam. de Iſide: *Palla ſub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, vmbonis vice deiecta partem laciniæ, multiplici contabulatione dependula.* Vbi bene ait, *vmbonis vice.* Nam palla ipſa quadrangula erat, vmbonem non habebat, ut toga, ſed eius vice gerebatur lacinia ab hume-

humero deiecta. Sed libens legerem in Apuleio: *vmbonis vice deiecta parte laciniæ* Sed ut ad vmbonem revertar, quia totam togæ structuram stringebat, *artifex nodus* vocatur a Macrobio: *fuit in vestitu* (Hortensius) *ad munditiem curioso, & ut bene amictus iret, faciem in speculo ponebat, ubi se intuens togam corpori sic applicabat, ut rugas non forte, sed industrie locatas artifex nodus constringeret, & sinus ex composito defluens, nodum corporis ambiret.* De vmbone etiam Persius: *—Totaque impune suburra*

Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.

Vbi non recte meo iudicio vetus Glossographus scribit συνεκδοχικῶς, Persium vmbonem pro toga sumere: *Alioquin*, inquit, *& in prætexta candidus vmbo.* Sed nec ipse videtur vmbonis formam plene assecutus esse; nam vmbo in prætextis, si non totus purpureus, saltem purpuratus erat; namque eam magna ex parte formabat summa togæ ora, quæ purpurea erat: non enim solum prætexta purpuram in infima ora, sed circumcirca habebat.

CAPVT XII.

Sinus togæ non fuit adsutus, nec attextus, contra Anton. Augustinum, Turnebum, Manutium. non fuit cinctæ togæ pars. Lacinia distincta contra Sigonium. Sinus in togæ structura. Philosophi & austeriores homines, breves lautiores; inundantes habebant sinus. Delicatiorum in sinu formando cura. Vmbo togæ, si in brachium decideret, rusticum declarabat. Gremium & sinus confunduntur.

NEc minus de sinu togæ varie disputant viri docti, Antonius Augustinus Dialogo 2. Turnebus lib. 2. Adversariorum cap. 26. Aldus Manutius de Quæsitis per Epist. lib. 1. cap. 11. qui sinus togæ non attextos, sed appensos & adsutos tradit.

Non

Non intelligo quid ſibi velit Sigonius, qui ſinum cinctæ togæ partem fuiſſe adſerit lacinia diſcinctam. Sed optime patruus meus Philippus Rubenius l. 1. Elect. c. 17. per imagines interpretes nos docuit quid ſinus eſſet. Sed, credo, non viderunt eum viri eruditi, qui de ſinu togæ etiamnum diſputant, & quaſi in tenebris micant. Nos contenti ſumus hoc Catone. Namque illum verum ſinus formam demonſtraſſe, & ob oculos poſuiſſe, mihi extra omnem iudicij aleam poſitum videtur. Sed quia ille ſatis ſuccinctè hac de re tractavit, ſuccedam eius loco, ut & illis ſatisfaciam, qui ex Scriptoribus ſolum rem veſtiariam eruere volunt.

Naſcebatur igitur ſinus ex toga quæ ſub dextro brachio duplicabatur. Cùm igitur pars togæ ſub brachio dextro duplicaretur, ſuperior quidem pars τȣ̃ πτύγματος formabat balteum, inferior autem tabulis conſtabat, id eſt, plicis longis per dextrum humerum deſcendentibus, excluſa dextra, deinde in deficientibus tabulis curvabatur in ſinum, qui deinde inijciebatur in lævum humerum, rurſus in tabulas conglomeratus. Et illi quidem qui Philoſophiam & auſterius vitæ genus adfectabant, togas exiguas portabant, atque ita breves ſinus habebant, vt Cato:

Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem.

Contra elegantiores & lautiores troſſuli, quibus laxa erat toga, inundantes habebat ſinus. Ovidius:

Nec toga ſit laxo conſpicienda ſinu.

Pedo Albinovanus de Mecænatis obitu:

Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus?

Immo & delicatiores ſinum ex humero ſiniſtro quaſi ſponte lapſum deijciebant in brachium, qui hoc modo vmbo-

vmbonem latius ambibat. Macrobius de Hortensio: *Fuit enim vestitu ad munditiem curioso, & ut bene amictus iret, faciem in speculo ponebat, ubi se intuens, togam corpori sic applicabat, ut rugas non facile, sed industria locatas artifex nodus constringeret, & sinus ex composito defluens nodum lateris* (id est vmbonem) *ambiret. Is quondam cum incederet elaboratus ad speciem, collegæ de iniurijs diem dixit, quod sibi in angustijs obvius offensu fortuito structuram togæ destruxerat, & capital putavit, quod in humero suo locum ruga mutasset.* Tibullus: *Lib.2.c.9.*

Defluit effuso cui toga laxa sinu.

At si vmbo ipse togæ omnino decidebat in brachium sinistrum, id rustici & negligentis erat. Horatius:

Rusticius tonso toga defluit.

Quintilianus: *At si incipientibus aut paulum progressis decidat toga: non reponere eam, prorsus negligentis, aut pigri, aut quomodo debeat amiciri nescientis est.* Ex his quæ diximus, credo facile apparere posse cuivis, qua ratione Cæsar moriens sinum ad ima crura deduxit, ut honestius caderet. Agrætius de Orthographia, inter gremium & sinum distinguit. Sed confundit Florus, ubi de Q Fabio legato Romanorum ad Carthaginem, lib. II. c. 6 *Excusso in media curia togæ gremio, non sine horrore, quasi plane sinu bellum ferret, effudit.* Iuvenalis:

——Fatum est in partibus illis
Quas sinus abscondit.

CAPVT XIII.

Toga non cingebatur. Præcinctura togæ. Macrobius explicatus. Toga ipsa Romani præcingebantur; balteo togæ. Cæsar fluxiore cinctura utebatur. Suetonius explicatus. Laticlavij tunicas inferiores Zona substringebant. Præcinctura a cinctu Gabino diversa. Præcingi proprie dicitur, quando cinctus ab interiori tantum parte cingit hominem. Veteres Romani nullos sinus habebant.

DIsquirendum nunc est, an toga Romana cingulo aut zona substringebatur. Quod Sigonius existimat. Contra Manutius & alij, quibus accedo. Præcincturam tamen in toga docet Macrobij locus iam sæpe laudatus de Hortensio: *Sed forte ad notam sæculi sui non sufficit Hortensius, vir alioquin ex professo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem. Fuit enim vestitu ad munditiem curioso; &, ut bene amictus iret, faciem in speculo ponebat, ubi se intuens, togam corpori sic applicabat, ut rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus constringeret, & sinus ex composito defluens nodum lateris ambiret.* Idem cap. 3. eiusdem libri: *In Cæsarem quoque mordacitas Ciceronis dentes suos strinxit. Nam primum post victoriam Cæsaris interrogatus cur in electione partis errasset, respondit: Præcinctura me fefellit. Iocatus in Cæsarem qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam velut mollis incederet; adeo ut Sulla tamquam providus dixerit Pompeio: Cave illum tibi puerum male præcinctum.* Qui locus non parvam doctis viris dissensionum occasionem præbuit; qui etiam in Macrobio pro toga, tunica ponendum censent, ut illum cum Suetonio concilient. Quod tamen haud necesse est; nec enim Macrobius ait, Cæsaris togam cingulo aliquo substrictam fuisse, sed illum ita toga

præ-

præcingi ſolitum, ut trahendo laciniam velut mollis incederet; fluxiore enim præcinctura utebatur. quod & Dio innuit lib. 43. Τὸ δ' οὖν χαῦνον τοῦ ζώματος αὐτοῦ ὁ μὲν Σύλλας ὑπετύπησεν, ὥστε καὶ ἀποκτεῖναι αὐτὸν ἐθελῆσαι, τοῖς τε ἐξαιτησαμένοις εἶπεν ὅτι, ἐγὼ μὲν χαριοῦμαι τοῦτον ὑμῖν, ὑμεῖς μέντοι καὶ πάνυ τοῦτον τὸν κακῶς ζωννύμενον φυλάττεσθε. *Laxam cincturam eius ipſe Sulla notavit, qui quum neci Cæſarem deſtinaſſet, deprecantibus pro eo reſpondit, ſe quidem eum ipſis concedere, verum ipſi ab iſto male præcincto puero ſibi caverent.* Præcingebantur autem Romani in habitu ordinario toga ipſa, nempe balteo illo, qui ſub dextro brachio ad ſiniſtrum humerum oblique ducebatur, qui umbonem cingebat, ut iam diximus. Quam præcincturam agnoſcit etiam Curius Fortunatianus loco ſupra citato: *Quemadmodum cingemur? nec ſubmiße nec ſuccincte. quid in umbone? nec fluxe nec adſtricte.* Id & Quintilianus præcipit: *Ille qui ſub brachio dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur, velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat.* Cincturam etiam in toga agnoſcere videtur Cicero l. 2. Epiſt. ad Quintum fratrē Epiſt. 12. *Cæſarem illum in ſinu fero, nec ego diſcingor.* Cæſar autem fluxiore præcinctura utebatur, ut molles & delicati ſolebant. Suetonius de eo cap. 45. *Etiam cultu notabilem ferunt, uſum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura; unde emanaße Sullæ dictum conſtat, Optimates ſæpius monentis, ut male præcinctum puerum caverent.* Vbi duo notat in Iulio. Primum, quod interiores tunicas nullo cingulo caſtigabat, ſed ſola toga præcingebat tunicas. Nam quamvis tunica laticlavia ὀρθοστάδιος erat; tamen tunicas inferiores zona ſubſtrictas portare ſolebant ceteri laticlavij: deinde quod cinctu ipſo togæ fluxiore utebatur. Diverſa

hæc togæ præcinctura a cinctu Gabino, quo habitu amicti non præcincti a scriptoribus vocabantur, sed toga aut prætexta incincti, & a Græcis τὰς τηβέννας περιζωσάμενοι, id est circumcincti. Præcingi videtur dici proprie, quando non circumcirca cinctus ambit hominem, sed ab anteriori tantum parte. Martialis de semicinthio:

Det tunicam dives, ego te cingere poßum.

Ennius apud Gellium lib.6.cap.6.

Brundusium pulchro præcinctum præpete portu.

Hunc autem cinctum togæ non habebant Antiqui Romani, qui nullos sinus habebant, sed brachium toga cohibebant. Hinc Pedo Albinovanus ita Mecænatem defendit, qui & ipse male præcinctus erat:

Quod discinctus eras, animo quoque carpitur vno:
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo,
Quæ bene præcinctos post modo pulsa fugit.
Invide quid tandem tunicæ nocuere solutæ?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

CAPVT XIV.

Augures amicti trabea & purpura & cocco. Videtur talis fuiſſe chlamys quam milites circumdederunt Chriſto. Dibaphus. Flamines læna amicti. Læna chlamys duplex. Lænæ & abollæ differentia. Flaminum læna purpurea. Ad pectus ſtringebatur ænea fibula. Erat & aurata. Hoc veſtitu utebantur tantum in ſacris. Pontifices prætexta utebantur. Prætexta circumcirca purpurata fuit, non in ima ora tantum. Λέγνα. ea prætexta. Pontifices ſacrificaturi aut vota ſuſcepturi prætextam capiti inijciebant. Virgilio lux. Purpureo velare comas amictu. Suffibulum. Purpurea ſacerdotum non ex pretioſa, ſed plebeia. Cicero explicatur.

QVis habitus fuerit Sacerdotum apud Romanos, diu mecum quæſiui. Ego hic breuiter opinionem meam exponam, omiſſis aliorum ſententijs. Igitur Augures amictos fuiſſe trabea ex purpura & cocco, tradit Servius ad 6. Æneidos ex Suetonio. Hoc eſt, primo cocco tingebatur, deinde purpura. Plinius lib. 9. cap. 41. *Quin & terrena miſcere, coccoque tinctum, tyrio tingere ut fieret hyſginum.* Talis etiam forte erat chlamys illa, quam Domino noſtro milites circumdederunt, quam Matthæus coccineam fuiſſe, Marcus vero purpuream tradit. Hinc Dibaphum pro Auguratu poſuit Cicero lib. 11. Epiſt. 16. ad Cælium: *Sed tamen togam prætextam texi Oppio puto te audiſſe; nam Curtius noſter dibaphum cogitat, ſed eum infector moratur.* Et Epiſt. 9. lib 2. ad Atticum: *Proinde iſti licet faciant quos volent conſules, tribunos plebis; denique etiam Vatinij ſtrumam Sacerdotij διβάφω veſtiant.* Neque enim de dibapha Tyria Ciceronem loqui credo, quæ ipſius Conſulatu primum Romanis viſa fuit. De trabea alibi. Flamines vero læna amicti erant. Cicero in Bruto: *Licet aliquid etiam de M. Popilij*

ingenio suspicari, qui cum Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebei contra patres concitatione nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem. Erat autem læna hæc chlamys duplex. Varro lib. 4. de lingua Latina: *Ricinium id, quod eo utebantur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum iaciebant, ab reijciendo ricinium dictum. Hinc quod facta duo simplicia paria, parilia primo dicta.* Et paulo post: *Læna quod de lana multa. Duarum enim togarum instar ut antiquissimum mulierum ricinium, sic hoc duplex virorum.* Si aliqua differentia est inter lænam & abollam, credo hanc solum esse, quod illa chlamydis, hæc vero pallij species erat: id est, hæc erat quadrata, illa vero rotunda. Læna autem utebantur flamines purpurea, si Servio fides est in lib. 4. Æneidos. vbi tradit veteri cæremoniarum iure præceptum esse, ut flamen venenato operta sit. Vide eumdem in illud: *Tyrioque ardebat murice læna.*

Fibula vero ænea hanc lænam ad pectus stringebant flamines. Festus: *Infibulati sacrificabant flamines propter usum æris antiquissimum æreis fibulis.* Et Servius in 4. Æneidos, ad d. 1. *Læna est proprie toga duplex, amictus anguralis. Alij amictum rotundum, alij togam duplicem, in qua Flamines sacrificant infibulati.* & ita Sacerdotes videmus in Columna Traiana & alijs antiquitatis monumentis. Hoc autem intelligendum, nec augures nec flamines sic amictos fuisse nisi in sacris. Læna hæc flaminũ tota purpurea erat & aurata, ut Appianus docet; ita & Virgil. ubi Æneam ut flaminem adornat, addit: ——— *Et tenui telas discreverat auro.* Pontifices autem toga prætexta utebantur. Lampridius in Alex. Severo: *Accepit prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris.* Livius Decad. 4. lib.

lib. 3. *Romæ eo primum anno Triumviri Epulones facti Caius Licinius Lucullus, Titus Romuleius, qui legem de creandis his tulerat, & Publius Portius Lecca. His Triumviris idem ut Pontifici lege datum togæ prætextæ habendæ ius.* Prætextam autem non solum in ima ora, sed circumcirca purpuratam fuisse credo; ut videtur in statua ærea prætextata, quæ est apud Florentiæ Ducem, ubi non solum αἱ ὦαι, sed etiam τὰ λέγνα purpura prætexta sunt. Λέγνα enim appellabant extremitates illas togæ aut pallij quæ ab ora sursum ibant. Pollux lib. 7. cap. 14. Ὦα δὲ τὸ ἐξώτατον τοῦ χιτῶνος ἑκατέρωθεν. Λέγνα δὲ τὰ ἐν τῷ ἱματίῳ ἑκατέρου μέρους, οὐχ ὅπου ἡ ὦα. id est: *Ora extrema tunicæ pars utrimque (id est in superiori & inferiori parte,) λέγνα vero in amictu utrimque existentes partes, sed non ubi ora est.* Vbi clarè in pallio quadrato utrimque oras fuisse supra & infra, λέγνα vero a dextro & sinistro latere videmus. Hæc legna etiam prætexta fuisse indicat Hesychius. Λέγνα, inquit, τὸ παρυφαινόμενον τῇ περιστερᾷ. Hinc patet etiam, vmbonem togæ in prætextis purpureum fuisse, quod dicit Persius: —*Totaque impune suburra*

Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo.

De quo superius. Sacrificaturi autem, aut vota suscepturi Pontifices prætextam capiti inijciebant, ut in omnibus nummis & marmoribus. Ita Iosephus lib. 7. de bello Iudaico de Vespasiano: Καὶ τῷ περιβλήματι τὸ πλέον τῆς κεφαλῆς ἀποκαλυψάμενος εὐχὰς ἐποιήσατο τὰς νενομισμένας. quod Ruffinus vertit: *Et amictu magnam partem capitis adopertus solemnia vota celebravit.* Quia autem prætextæ illa pars quæ capiti inijciebatur purpurea erat, hinc bene Virgilius dicit:

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Hæc vero prætexta Pontificum, ut & palla Vestalium, suffibulum dicebatur. Varro lib. 5. de LL. *Opeconsiva dies a dea*

dea Opeconſiva, cuius in regia ſacrarium: quod ideo actum, ut eo præter virgines Veſtales & ſacerdotem publicum introëat nemo; is cum eat, ſuffibulum haud habebat tritum: id dicitur a ſuffiendo, ut ſubligaculum. Illud notandum, Sacerdotes ut in vaſis, ita etiam in veſte frugalitatem antiquorum obſervaſſe; nec enim purpura eorum ex pretioſa illa, ſed plebeia & vilis. Sic explico Ciceronem pro Sextio de Piſone: *Veſtitus aſpere noſtra hac purpura plebeia ac pene fuſca.* vbi noſtram vocat purpuram illam plebeiam, quia ipſe Augur erat. Ita Larenſius Pontifex apud Athenæum lib. 7. Ἐσθῆτάς τε ἔχομεν καὶ ὑποδέσεις εὐτελεῖς, πίλους τε τῆς κεφαλαῖς περικείμεθα προβατίων δερμάτων δασεῖς, κεράμεα δὲ καὶ χαλκᾶ τὰ διακονήματα κομίζομεν. id eſt: *Exigui pretij amictus calceatuſque nobis eſt: pileo caput opertum ex ovium pelle villoſa: vaſa quibus miniſtrant vel fictilia ſunt, vel ex ære.* Pulchre D. Gregorius Nyſſenus Orat. de S. Theodoro: *Me etiam Imperatorum horum miſeret, quod cum per ſe ſatis magna inter homines dignitate ob regium Imperium præditi ſint, Pontificis appellationem ſibi ſumpſerunt, & lugubri obſcuraque purpura huius dignitatis nomine induuntur ad imitationem infelicium Pontificum, in dignitate ſplendida atque illuſtri triſte atque inamœnum geſtantes indumentum.*

CAPVT XV.

Lucianus explicatus. Πῖλος. *Reiecta Thomæ Mori verſio. Vlyſſes cum pileo fingebatur. Vlyſſes non habuit pileum umbellatum & galericulum contra H. Aleandrum.*

Mithrobarzanes apud Lucianum in Necyomantia Menippum ad inferos deſcendere cupientē medica veſte ornat: Καὶ ἐνεσκεύασε τῷ πίλῳ καὶ τῇ λεοντῇ καὶ προσέτι τῇ λύρᾳ καὶ παρεκελεύσατο ἤν τις ἔρηταί με τοὔνομα Μένιππον μὴ λέγειν, Ἡρακλέα δὲ ἢ Ὀδυσσέα ἢ Ὀρφέα.

Quod

QuodThomas Morus vertit, *& ornavit clava, ac leonis exuviїs, & insuper lyra*. Ita & in principio: τὶ δὲ βούλεται τὸ ἀλλόκοτον τοῦ σχήματος, πῖλος καὶ λύρα καὶ λεοντή. *At quid sibi vult habitus huius insolentia, clava, lyra, leonis exuviæ?* cum ubique vertendum sit, *pileus, lyra, leonis exuviæ*. Quia enim Hercules, Vlysses, & Orpheus ad inferos descenderant, dat Menippo pileum ut Vlyssem referat, leonis exuvias ut Herculem, & lyram, ut Orphea. Vlyssem autem cum pileo fingi solitum omnibus notum. Vide post alios Hieronymum Aleandrum in explicatione tabulæ Heliacæ, ubi tamen non mihi persuadet, tribuens Vlyssi pileum umbellatum, & galericulum; nec enim in nummo illo Mamilij video aliud quam rotundum pileolum, quasi sphæra media sit divisa, ut ait D Hieronymus Epist. ad Fabiolam de pileo Vlyssis. Ita etiam Vlysses cernitur in pila antiqua ex marmore, quæ extat in foro Cathanensi, in qua Vlyssis historia sculpta est.

CAPVT XVI.

Orpheus in antiquis monumentis cum tiara & braccis. Tiaras & braccas Scythæ portarunt.

IN marmoreis antiquorum monumentis sæpe Orpheus cernitur cum tiara & braccis, ut videri potest apud Antonium Bosium in Roma subterranea, cuius rei rationem ipse reddere volens, ita scribit l.4.c.35. *Maior autem difficultas rem altius contemplanti subest, si quis nimirum studiose recolat, quanam ex causa huiusce formæ pileolum, seu tiaram, pictæ ipsius Orphei imagini aptari contigerit; sed propositæ nuper quæstionis nodus solvitur, si quæ a nobis iam de ipso Orpheo præmissa sunt, mente repetamus*. Sed nihil opus his argutijs. Thraces enim & Scythæ tiaras & braccas portabant, ac de tiara testis Lu-

cianus de Gymnaſijs, vbi Anacharſis ita inquit: Τὸν γὰρ πῖλόν μοι ἀφελεῖν, οἴκοθεν ἔδοξεν ὡς μὴ μόνος ἐν ὑμῖν ξενίζοιμι τῷ σχήματι. *Tiaram domi deponere placuit, ne ſolus apud vos peregrino habitu utar.* De braccis Ovidius lib. 4. Triſtium:

Hos quoque qui geniti Graiâ creduntur ab urbe,
Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.

Valer. Flac. l. 5. *Et iam Sarmaticis permutant carbaſa braccis.* Et de Orpheo ipſo Philoſtratus l. 1. de vita Apollonij c. 18. de Perſis: Χαίρουσι γὰρ δὴ τῷ Ὀρφεῖ τιάραν ἴσως καὶ ἀναξυρίδα τιμῶντες, οὐ γὰρ μουσικήν γε οὐδὲ ᾠδὰς αἷς ἔθελγεν. *Plurimum namque Orpheo gaudebant incolæ, tiaram forſan & braccas admirati, non ſane muſicam, aut carmina, quibus demulcebat homines.* Et Philoſtratus iunior in iconibus de Orpheo: Τιάραν δὲ χρυσαυγῆ ἐπὶ κεφαλῆς οἰωρῶν. *Tiaram auro fulgentē in capite rectam habentem.*

CAPVT XVII.

Scabilla. Non legendum ſcamilla contra C. Langium & Torrentium. Non fuerunt Hiſpanorum caſcabelli, contra Scaligerum & Caſaubonū. Non ſcabella quæ pedis pulſu percutiebantur contra Salmaſium. Vera Scabillorum forma. Scabilla & cymbala coniunguntur. Scabilla ex ligno, interdū ex ferro. Cymbalorum forma. Cymbala ſemirotundi pelves quos concutiebant. Non fuerunt ſimilia cymbalis Italicis & Hiſpanicis. Non percutiebantur malleolo.

MAgna inter eruditos contentio eſt, quæ ſint ſcabilla apud Ciceronē, Suetonium, & Arnobium. Carolus Langius Scamilla legit, & credit eſſe inſtrumenta illa muſica, quæ nos **Scalmeyen** appellamus, cui ſubſcribit Torrentius ad Suetonium. Ioſephus Scaliger ad Copam Virgilianam, & Caſaubonus ad Suetoniū ſcabellos eſſe putat, quos Hiſpani nunc *caſcabellos* vocant. Sed horum opinio facile refelli poteſt. Claudius

dius

dius Salmasius in Flav. Vopiscum censet revera, antiquos habuisse scabella in hunc usum parata, quæ pedis pulsu lignea solea vel ferrea percussa sonarent. Sed ipsum refutat ipse Statij interpres, quem allegat ad illud: *inspirata rotari buxa*, qui exponit *inspirata buxa*, tibiã vel *scabellum, quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt*. Si enim vera scabilla erant, quomodo erant inspirata? Ego puto veram scabillorum formam videri in statua marmorea, quæ extat apud magnum Etruriæ Ducem Florentiæ; quam hîc exhibeo.



Vbi videmus musicum, scabillum pedibus sonantem, & cymbala manibus quatientem. Ita cymbala & scabilla coniunguntur a D. Augustino lib. 4. de Musica. qui locus ab alijs iam allatus. Scabilla autem illa aliquando ex ligno erant, aliquando ex ferro. Libanius Orat. 19. pro Saltatoribus: Δεῖ δὴ τίνα κανόνα σιδηροῦν ἀπὸ τῆς βλαύτης ὁρμώμενον ἀρκοῦσαν ἠχὴν ἐργάσασθαι. Nec solum scabillorum formam, sed etiam cymbalorum videmus in hac statua. Nec enim aliud erant cymbala antiquorum, quam semirotundi quidam pelves quos concutiebant. Ita Servius ad

 IV. Geor-

IV. Georgicῶν ad illud: *Matris cymbala: quæ in eius tutela ſunt, ideo quod ſimilia ſunt hemicyclis cæli, quibus cingitur terra, quæ eſt mater deorum.* Iſidorus lib. 2. Originum: *Cymbala, acetabula quædam ſunt, quæ percußa invicem ſe tangunt, & ſonum faciunt.* Seneca l. 2. Natur. quæſt. *Ita tympana & cymbala ſonant, quia illa repugnantem ex ulteriore parte ſpiritum pulſant; hæc ad ipſum aërem acta, niſi concavo, non tinniunt.* Vnde patet errare eos, qui ſcribunt cymbala antiquorum haud abſimilia fuiſſe cymbalo Italico & Hiſpanico, quod *eſt inſtrumentum*, ut Caietanus deſcribit 1. Corinth. 13. *notum, quo puellæ utuntur choreas ducentes, geſtando ſiniſtra manu cymbalum, & dextra percutiendo illud: eius ſonus proprie eſt tinnitus multorum circulorum æreorum, qui in circumferentia lignea cymbali filis ferreis ſuſtentantur. Simul enim tota illa circulorum multitudo tinnitus emittit percußa pergamena cymbali planitie.* Tympanum antiquorum ea forma erat. Falluntur etiam ij, qui putant, cymbala ſonum edidiſſe malleolo partem convexam pulſante, & concavam ad aërem allidente; nec enim malleolo percutiebantur cymbala, ſed inter ſe collidebantur. D. Auguſt. enarrat in Pſalm. 130. *Cymbala invicem ſe tangunt ut ſonent, ideo a quibuſdam, labijs noſtris comparata ſunt.* Greg. Nyſſen. c. 9. in Pſalmos: Τοῦτο γὰρ ἡ τοῦ κυμβάλου πρὸς τὸ κύμβαλον ἐνδείκνυται σύνοδος. *Hoc enim oſtendit cymbali cum cymbalo colliſio.* Cymbalorum etiam formam videmus in vaſe marmoreo, quo bacchantes expreſſi ſunt, quod extat Romæ in horto Iuſtiniano. Nonnus vero Dionyſiacῶn pro cymbalis mihi videtur aliud quod inſtrumentum deſcribere:

Κύμβαλα βομβήεντα συνέκτυπε δίζυγι χαλκῷ
Συμφερέτοις δονάκεσιν.

Cymbala bombitantia una ſonitum edebant duplici ferro confertis fiſtulis.

F I N I S.

ALBERTI RVBENI
DISSERTATIO
DE GEMMA
TIBERIANA,
ET
AVGVSTÆA.

ILLVSTRI VIRO
CASPERIO GEVARTIO,
CÆSAREO REGIOQVE
CONSILIARIO, AC HISTORIOGRAPHO, ARCHIGRAMMATEO ANTVERPIANO, &c.
ALBERTVS RVBENIVS
S. P. D.

MITTO tibi meas de utraque Gemma, nempe TIBERIANA, quæ in Regis Chriſtianiſſimi; & AVGVSTÆA, quæ in Imp. Cæſ. RODOLPHI Aug. Gazophylacio ſpectatur, opinationes, quas flagitaſti. Duodecim amplius anni ſunt, cum iuſſu patris mei, τοῦ μακαρίτου, (qui duo hæc nobiliſſima Antiquitatis monumenta in æs incidi curarat) meam de illis ſententiam ſcripto complexus ſum: deinde poſt viſos Sanctamantij Commentarios, Tiberianam iterum recognovi; nunc vero ambas e ſchedis meis, hortatu tuo, collectas iuris tui facio.

Pri-

Primus Nicolaus Fabritius Peireskius (de quo ſatius eſt tacere quam pauca dicere) animadvertit in Sardonyche iſta Tiberiana non Triumphum Ioſephi (vt vulgo exiſtimabant) ſed potius profanam quamdam hiſtoriam repræſentari, crediditque Apotheoſin eſſe Auguſti, prout teſtatur elegantiſſimus Gaſſendus in Vita Peireskij; vbi etiam notat, eum varias hac de re litteras dediſſe ad amicos in Germaniam, in Italiam, per totam Galliam, præſertim vero ad Petrum Paulum Rubenium, parentem meum. Et aſſervantur etiamnum a me plures Peireskij Epiſtolæ, in quibus ſuam de hac Gemma ſententiam expromit, plane cum relatione Gaſſendi conſentaneam. Quod hic dico, ne quis fidem Gaſſendi aut memoriam in dubium revocet: vt factum video a nobili viro Ioanne Triſtano Sanctamantio, cui plurimum ſane debent omnes Antiquitatis ſtudioſi, non ſolum quia infinitum rariſſimorum numiſmatum theſaurum in lucem protulit, ſed etiam quia egregium hoc Sacrarij Palatini κειμήλιον primo Hiſtoricorum Commentariorum volumini inſeruit, & tam luculenta

face

face illuſtravit, vt verendum mihi ſit, ne præpoſteri aut temerarij conſilij arguar, qui actum agere, & aliquantulum non ab illo ſolum, ſed etiam a Peireskio deflectere auſus ſim. Quamvis enim hos viros antiquarum rerum ſcientiſſimos ſuſpiciam, tamen ad eos me non alligo: ſed nunc Peireskium, nunc Sanctamantium, aliquando neutrum ſequor: nonnumquam iubeo eos ſententiam dividere; nonnumquam nihil improbo ex his quæ priores cenſuerint, & dico, *Hoc amplius cenſeo.*

Tu videris, an iuveniles hos conatus dignos prælo exiſtimes. Ego quidem illos domi continere ſtatueram, ne laureolam in muſtaceo quærere viderer, neve in aliquam forte eruditi viri offenſam inciderem, quem licet e ſcriptis ſuis tantummodo notum, colo ac revereor. Etenim nonnulli ex ijs qui nunc e litteris humanioribus nomen petunt, Regum ſibi animos induunt; & ſi quis vel leviter ab eorum ſententia diſcedere præſumat, auctoritatem ſuam violatam & diminutam eſſe credunt, atque ob improbatam vnam atque alteram coniecturam ſuam, non minus quam ob editam

in capitale crimen ſubſcriptionem, Vatiniana odia exercent. A quo quidem vitio longe alienus eſſe ſtudeo; ac enixe caveo, ne nimium mihi contra veritatem faveam, gnarus ex Heſiodi monito, *Secundam virtutem eſſe, moneri velle ac poſſe.* Quamobrem te obſecro, ut ſi me alicubi errare animadverteris, comiter monſtres viam; & quidquid ex opinione mea minus in meis divinationibus tibi placebit, corrigas, aut inuerſo ſtylo deleas. Qua ſub lege & conditione concedo, ut ſi tibi ita viſum fuerit, hæc qualiacumque ſunt publicum accipiant. Vale Vir clariſſime, & me ama. Bruxellæ Kalend. Auguſti CIↃ. IↃC. LV.



DISSERTATIO DE GEMMA TIBERIANA.

Inter Peireskium & Tristanum conve- nit, principem huius gemmæ locum obtineri a Tiberio, qui throno insidet habitu Iovis, & eodem plane cultu ornatus, quo Augustus Cæsar in subsequenti gemma; præterquam quod hic velamentum femorum & tibiarum squamis asperatum, & serpentibus fimbriatum est, prout Ægis describitur a Virgilio:

Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque angues.

Quapropter Peireskius vestem hanc Imperialem non immerito Ægidem Iovis esse dixit. Sed aduersatur huic opinioni vir de antiquitate optime meritus, & demonstrare conatur, Ægida dici non posse, cum nec pellis caprinæ speciem referat, nec caput Medusæ insertum habeat, nec demum pectus occupet, vt Ægides in Palladijs solent. Verum quod quidem ad pellem caprinam attinet, Herodotus libro 4. diserte negat, Ægidas simulacris deorum & Græcis apponi solitas, e pellibus fuisse confectas. Τὴν δὲ ἄρα ἐσθῆτα, καὶ τὰς αἰγίδας τῶν ἀγαλμάτων τῆς Ἀθηναίης ἐκ τῶν λιβυσσέων ἐποιήσαντο οἱ Ἕλληνες. πλὴν γὰρ ὅτι σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν λιβυσσέων, ἐστὶ, καὶ οἱ θύσανοι οἱ ἐκ τῶν αἰγίδων αὐτῇσι οὐκ ὄφιες εἰσὶ, ἀλλ' ἱμάντινοι, τὰ δὲ ἄλλα πάντα κατὰ τωὐτὸ ἔσταλται. Eustathius ad ε Iliados, ubi

hunc

hunc Herodoti locum explicat: Τὸ δὲ πλὴν ὅτι σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν λιβυσσῶν, δηλοῖ τὰς παρ᾽ ἕλλησιν αἰγίδας ἐν ἀγάλμασι τυχὸν Διὸς ἢ Ἀθηνᾶς ὑφαντὰς ἢ πλεκτάς τινας εἶναι, καὶ οἷον σαγοειδεῖς μαλλωτάς. Τυχὸν μὲν ἐξ εὐπορίστου ὕλης, τυχὸν δὲ ἐκ τιμιωτέρας, οὐ μὴν αὐτοχρῆμα αἰγᾶς, ἤτοι αἰγίδας, ὅ ἐστιν αἰγῶν δορράς.

Et ſane, ſi Græcorum Ægides ſquamis ſerpentum variatæ fuerunt, ut ex Virgilio conſtat;non video,quomodo pellibus caprinis ſimiles eſſe potuerint. Non etiam ſquamata hæc Iovis veſtis, Tiberio circumdata , ideo Ægidis appellationem obtinere non poteſt , quia caput Gorgonis nequaquam appoſitum eſt. Illud enim a Minerva demum Ægidi ſibi a Iove conceſſæ adiectum fuit, ut Poëtæ fabulantur,& ipſe contrariæ ſententiæ Auctor alicubi annotat. Ad ultimum non diffiteor, in priſcis monumentis plurimas Imperatorum imagines extare Ægide ad pectus armatas, ut in nummis Antonini Caracallæ, & Alexandri Seueri apud Octauium Stradam ; & in eximio Achate Ducis Bucquingamij, qui Conſtantinum Auguſtum præfert hoc habitu.

De



De ſtatua quoque Iulij Cæſaris Chriſtodorus lib. 5. Anthologiæ:

Καῖσαρ δ' ἐγγὺς ἔλαμπεν Ἰούλιος, ὅς ποτε Ῥώμην
Ἀντιβίων ἔστεψεν ἀμετρήτοισι βοείαις
Αἰγίδα μὲν βλοσυρῶπιν ἐπωμαδὸν ἦεν ἀείρων.

Nec aliunde petenda explicatio nummorum Neronis apud Triſtanum numero 14. 20. & 23. in quibus angues loricæ eius adiecti ſunt. At vero in hac gemma cum Tiberius plane Iovi aſſimilatus ſit, qui intecto pectore fingebatur, quemadmodum ſupra diximus, non quidem

Ægis pectori circumdata, sed ut sculptoribus non minus quam ———— *Pictoribus atque Poetis*

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas;

tegmen femorum in Ægidis morem formatum est, ab artifice veteris Mythologiæ, ut apparet, non imperito. Nonnulli enim ex antiquis Theologis Iovem esse dicebant Cælum & Aërem. Homerus ό Iliados:

Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

Ad quem locum Eustathius: Ζεὺς πᾶς ὁ ὑπὲρ γῆς ἀήρ. ὅτε φωτιζόμενος ἀπὸ γῆς ἕως νεφῶν, καὶ ὁ ὑπὲρ τὰ νέφη, ὃν καὶ οὐρανὸν ὀνομάζει. Servius ad secundum Georgicorum: *Interdum pro aere Iuno, & pro æthere Iupiter accipitur: aliquoties et pro aere, et pro æthere Iupiter; Iuno vero pro terra & aqua.* Hinc superiora quidem Iovis membra, id est, Æther,

Perpetuum nulla violatus nube serenum,

absque ullo velamento exposita conspiciuntur; sed inferiora, quæ Aërem designant, nubibus obductum, & tempestatibus sæpe turbidum, Ægide tecta sunt. Hæc enim procellarum, nimborum atque turbinum symbolum est. Ideo Virgilius Ægida *nigrantem* dixit, & Silius Italicus

Nimbos flammasque vomentem.

Servius ad 8. Æneidos: *Sane Græci Poetæ turbines & procellas* καταιγίδας appellant, quod Ægis mota faciat tempestates. Eustathius ad έ Iliados: Αἰγὶς νοεῖται καὶ τὰ ἀέρια πάθη, καὶ φοβήματα, ὧν ἔνια οὐ μόνον καταιγίδες λέγονται, ἀλλὰ καὶ αἰγίδες ἀσυνθέτως.

Forte etiam cælator significare voluit hoc schemate, Tiberium ciuibus quidem Romanis intectum serenumque apparere, ut Iupiter cælicolis videri credebatur: at verò Barbaris infra se positis Ægida ostentare, & fulmina tempestatesque armorum suorum immittere.

Dextrum

Dextrum *Tiberij* latus claudit *Antonia* Drusi, sinistrum *Livia*, seu *Iulia Augusta*, ut bene Peireskius. Illa recta adstat, & Germanicum filium amplectitur, hæc in eodem quo Tiberius solio sedet, vtpote quæ Augusta erat, & dominationis fere socia, ita ut litteræ Tiberio scriptæ etiam matri eius inscriberentur, teste Dione libro 57. Quod miror non animadversum esse à viro oculatissimo, qui mutatis partibus personam Liviæ tribuit Antoniæ; & contra, quam Peireskius & nos Liviam esse censemus, ipse Antoniam nominat. Sed ut argumentum illi suum reponam, nullam veri speciem habet, Antoniam quidem, quæ demum a Caio Cæsare Augustæ titulum obtinuit, in Augustali throno locatam esse, Liviam vero Augustam Tiberio adstare.

Dextra gestat Livia spicas & papavera, vt omnes ferè Augustæ in numismatis & marmoribus antiquis. μήκωνες enim τῆς πολυγονίας σύμβολον, ut Porphyrius ait apud Eusebium lib. 3. cap. 11. Præparat. Euang.

Adiacet solio Barbarus quidam, tiara, tunica manicata, & sarabaris velatus. Tristanus putat esse seruum aut libertum notarium, Tiberij & Germanici verba excipientem. Ego Armeniam esse opinor, quæ simili prope cultu, tiarata, tunicata & braccata conspicitur in L. Veri nummis. De quo Orientalium Barbarorum habitu latè agit Brissonius de regno Persarum. Ego id solum hic adijciam, ex hac imagine liquido apparere, quænam sint apud Lucretium *anademata*, apud Virgilium

——— *redimicula mitræ*.

Sustentat tristis Armenia sinistra manu inclinatum caput, eodem gestu quo Iudæa aliæque prouinciæ sæpe in nummis effigiatæ spectantur. Infestabatur enim tunc temporis

poris regio hæc Vononis & Parthorum motibus; ad quos componendos, & opem afflictæ Armeniæ ferendam Livia Germanicum adhortari videtur.

Ille galea, clypeo, & ocreis instructus alacriter operam suam pollicetur, & tacto capite se obstringit, paratus caput & vitam Reipublicæ & Tiberio patri impendere.

Adsistit Germanico Caius Cæsar Caligula manipulario habitu, qui patrem comitatus est in Syriaca expeditione, ut Suetonius refert cap. 10.

Agrippina Germanici, filio & marito adiuncta, non stola, ut Livia & Antonia, sed chlamyde fibulatoria circumvelatur; quia nempe in castris ac expeditionibus plerumque versata est. Sic Didoni ad venationem proficiscenti chlamydem tribuit maximus Poetarum:

Tandem progreditur magna stipante caterva
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Agrippina quoque Claudij vxor Naumachiam in lacu Fucino spectavit aurea chlamyde amicta, ut Tacitus, Plinius & Dio notant.

Ab altera parte pone thronum Tiberij, sedet puella in humili lecticula aut subsellio sphingis imagine exornato, quæ ob illud insigne, Iulia Augusti filia existimatur à Tristano. Sed vix credere possum, vomicam hanc domus Augustæ hic expressam esse, & quidem sub Tiberio, qui infesto semper odio illam prosecutus, mox ut principatum adeptus est, extorrem, infamem, & post interfectum Agrippam, omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit. Incidit autem mors Iuliæ, Tacito teste, in annum Iulianum 59. ab Vrbe condita 767. At certum est, gemmam

mam hanc cælatam esse post reditum Germanici e Germania, qui contigit exeunte anno Iuliano 61. aut ineunte 62. duobus minimum post Iuliæ mortem annis. Itaque rectius meo iudicio Peireskius censuit, esse Liviam seu Livillam Germanici sororem, nuptam Druso Tiberij filio; cui sententiæ suffragatur insignis gemma Bucquingamij Ducis, quæ refert Livillam eodem filo vultus, serto e spicis & papaveribus contexto coronatam, duosque gemellos in sinu habentem. Quantum ad sphingem, vulgari apud Romanos Græcosque artificio fulcra lectorum & sellarum in sphingium & gryphum speciem deformari solebant. Callixenus Rhodius apud Athenæum lib. 5. Ἐκείνου δὲ καὶ κλῖναι χρυσαῖ σφιγγύποδες, ἐν ταῖς δυσὶ πλευραῖς ἑκατόν. Isidorus lib. 20. cap. 11. *Sphingæ sunt sphingatæ effigies, quas nos Gryphos dicimus.*

Adsistit Livillæ iuvenis galeatus & paludatus, dextram cælum versus protendens. Hunc Tristanus Numerium Atticum esse credit, eo gestu expressum, quo Augustum in cælúm ascendentem a se conspectum affirmaverat. De qua opinione ut nihil aliud dicam, certe non video, qua ratione Numerio Senatori & Prætorio viro galea & chlamys conveniat, cum ille non in expeditione aliqua, sed Romæ, aut extra Vrbem via Appia, Augusti Apotheosin sibi visam iuraverit; nec Romæ aut in Latio Senatores cum galea & chlamyde aut paludamento incedere solerent, nisi Consules & Prætores, cum ad bellum ex Vrbe proficiscebantur, aut ex bello redibant.

Adhæc, trophæum quod adolescens ille humeris gestat, planissime sententiam hanc condemnat. Nec enim mihi probat vir nobilis, hoc trophæum denotare exuvias mortales Augusti ex æthere decidentes. Itaque cum Peires-

kio Drusum hunc esse puto Tiberij filium, Livillæ maritum, qui trophæum fert; quia tunc cum Germanicus in Syriam profectus est, in Illyrico feliciter res gessit, & Suevos atque Marcomannos mutuis discordijs attrivit; qua de causa paulo post ovatio ei decreta fuit. Expansam vero dextram ad cælum elevat Drusus, ut promptum se testetur ad quævis pericula pro Maiestate Imperij Romani subeunda. Ita apud Lucanum,

——Cunctæ simul assensere cohortes,
Elatasque alte quæcumque ad bella vocaret
Promisere manus.

In superiori gemmæ parte quatuor Diui aut Heroes conspiciuntur, quorum vnus orbem manibus tenet. Hunc Æneam esse, facile Tristano assentior: nisi quis forte ex iuvenili & imberbi facie conijcere malit Iulum esse, Iuliæ gentis auctorem: habitus certe Phrygem arguit, nempe tiara, tunica manicata, chlamys & braccæ: qui cultus Phrygum erat; a quibus ad Armenios fluxit Phrygum colonos, ut Herodotus ait lib. 7. Ἀρμένιοι δὲ κατάπερ Φρύγες ἐσεσάχατο, ἐόντες Φρυγῶν ἄποικοι. De tiara aut mitra Phrygia obvia passim Scriptorum veterum testimonia. De tunica & manicis Virgilius lib. 9. Æneidos:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

De chlamyde & braccis idem lib. 11.

—— Tum croceam chlamydemque, sinusque crepantes
Carbaseos, fuluo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Euripides in Cyclope de Helena & Paride:

——ἢ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα, καὶ τὸν χρύσεον
Κλοιὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα.

Lon-

Londini in ædibus Arundellianis extat haloſis Troiæ in antiquo marmore, quod omnes Troianos hoc modo cultos exhibet.

Orbem manu geſtat Æneas aut Iulus, ob Imperium orbis terrarum, quod Iulia familia obtinuit.

Supra hunc emicat alius radiata corona, & velo ſceptroque inſignis, qui Peireskio Auguſtus, Triſtano Iupiter eſt. Ego Peireskio accedo; nam Iupiter diverſo omnino ſtatu & habitu in priſcis monumentis apparet. Etenim, ut alia nunc omittam, quis neſcit, profundam Iovi barbam ab omni antiquitate tribui? Cicero lib. 1. de Natura deorum: *Iſto namque modo dicere licebit Iovem ſemper barbatum, Apollinem ſemper imberbem, cæſios oculos Minervæ, cæruleos eſſe Neptuni.* Arnobius lib. 6. *Riciniatus Iupiter atque barbatus.* Prudentius:

Barbam rigentem dum Iovis
Circumplicat.

Nec eſt quod aliquis Iovem Anxurum & Caſium opponat: nam & hic & ille puerili aut iuvenili ſpecie facti erant. Servius ad 7. Æneidos: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi* ἄνευ ξυρᾶς, *id eſt, ſine novacula, quia barbam numquam raſiſſet; & Iuno virgo, quæ Feronia dicebatur.* De Caſio Iove Achilles Tatius lib. 3. de Clitophontis & Leucippes amoribus: Τὸ δὲ ἄγαλμα νεανίσκος ἦν. Idem cenſendum de ſtatuis Iovis quas Pauſanias memorat 1. Eleacor. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ζεὺς οὐκ ἔχων πω γένεια: & paulo poſt: Ἄγαλμά ἐστι Διὸς οὐκ ἔχον γένεια οὐδὲ αὐτό. At noſter ſenilem planè ætatem præfert, & raſum tamen mentum habet, quod Iovi nullo modo convenit. Et ſane ſi quis vultum eius conferat cum priſcis gemmis & numiſmatis Auguſtum iam ſenem referenti-

 bus,

bus, haud dubie aſſentietur Peireskio: radiata autem corona cinctus eſt, quia Auguſtus

——Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi.

Et à patre ſuo viſus fuit in ſomnio mortali ſpecie amplior, cum fulmine & ſceptro, exuvijſque Iovis optimi maximi, ac radiata corona, ſuper currum laureatum, ut Suetonius narrat cap.94. Tranſijt autem ab Auguſto ad ceteros Imperatores radiatæ coronæ vſus: maximè ad eos qui in deos relati erant. Lucanus lib. 7.

Bella pares ſuperis facient civilia divos,
Fulminibus manes, radijſque ornabit & aſtris,
Inque Deum templis iurabit Roma per umbras.

Velum capiti circumpoſitum conſecrationis inſigne eſſe, viri docti annotarunt ex numiſmatis. Euſebius lib. 4. cap.73. de Vita Conſtantini: Ἤδη δὲ καὶ νομίσμασιν ἐνεχαράττοντο τύποι, πρόσθεν μὲν ἐκτυποῦντες τὸν μακάριον ἐγκεκαλυμμένον τὴν κεφαλήν. θατέρου δὲ μέρους ἐφ᾽ ἅρματι τεθρίππῳ ἡνιόχου τρόπον ὑπὸ δεξιᾶς ἄνωθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβανόμενον. *Jam vero in numiſmatis quoque expreſſæ formæ, quæ ab una parte beatum hunc noſtrum obuoluto capite repræſentabant, ab altera parte quadrigæ, inſtar aurigæ, inſidentem ſuſceptum a dextra manu cælitus demiſſa.* Habeo aliquot huiuſmodi nummos penes me, ſed eorum formam iam publico dederunt Eminentiſſimus Baronius ad annum 337. Antonius Auguſtinus dialogo 1. & Triſtanus tomo 3. qui etiam ſtudioſe quærunt, cur Imperatores poſt conſecrationem capite obvoluto repræſentati fuerint. Ego arbitror ideo illud fieri ſolitum, quia cadavera hoc habitu rogo imponebantur. Virgilius lib. 11.

——Arſuraſque comas obnubit amictu.

E rogo autē aſſurgere ad immortalitatē credebantur divi.

Sed

Sed ut ad gemmam noſtram revertar, cum Auguſto iam ſuus locus aſſignatus ſit, non magnopere mihi laborandum eſt, ut viri eruditi opinionem refellam, qui Auguſtum alato equo imponit. Et ſane vector Pegaſi, adoleſcentis potius quam ſeneſcentis faciem habet, quemadmodum obſervavit Peireskius, qui proinde Marcellum eſſe credebat. Mihi videtur, ex filo vultus, Druſus Germanicus eſſe, Tiberij frater, Germanici Cæſaris pater. Sed qua de cauſa alatus illi equus tribuatur, accuratius inquirendum. Et olim quidem exiſtimavi, Druſum Bellerophonti comparatum eſſe, non ſolum ob eximias corporis ac animi dotes; verum etiam quia, ut Bellerophon a Pegaſo excuſſus coxam fregit, ita Druſus ex fractura, equo ſuper crus eius collapſo, obijt triceſimo poſt die. Sed & alia nunc huius rei ratio occurrit: deprehendo etenim ex Pedone Albinovano, aliquem ex Poetis illius ævi finxiſſe, ſolemni tunc adulatione, Druſum ex rogo a Venere ereptum, & in ſtellam Heſperum mutatum fuiſſe. Pedonis verba ſunt in Epicedio Mæcenatis, quæ non neſcius ſum aliter a Scaligero explicari:

Quæſivere chori iuvenem ſic Heſperon illum,
Quem nexum medio ſolvit in igne Venus.
Quem nunc in fuſcis placida ſub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.

Vbi ſub iuvenis nomine manifeſte Druſum intelligit, quem ita paſſim appellat, ut in carmine ad Liviam:

Nec iuvenis poſiti ſupremos deſtrue honores.

&, *Accipient juvenem Germanica ſigna ferentem.*

Sic etiam, in principio Epicedij Mæcenatis:

Defleram iuvenis triſti modo carmine fata.

Nam aliud agebat Scaliger, dum ſcripſit, Epicedium de

morte Drusi hic non posse intelligi; quia post Agrippam mortuus sit. Ita quandoque etiam magni viri dormitant.

Hanc vero fabulam de Druso a Venere in cælum translato, & in Hesperon converso, secutus sculptor gemmæ, Drusum hic pennato equo, Veneris ministro, imposuit: eodem enim modo & comam Berenices, Veneris iussu in cælum a Pegaso deportatam tradidit Callimachus, & ex eo Catullus:

Abiunctæ paulo ante comæ, mea fata, sorores
Lugebant, cum se Memnonis Æthiopis
Vnigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.
Isque per ætherias me tollens advolat auras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephiritis eo famulum legarat.

Præterea cum Drusus in Hesperum mutatus fuisse post obitum creditus sit, non immerito volucri equo vehitur; namque singulares equos Lucifero & Hespero ab antiquitate datos fuisse, iam à Scaligero lib.2. de Emendatione temporum, & alijs annotatum est. Immo Lucifero (qui idem cum Hespero) Pegasum tribui in priscis monumentis docet vir Cl. Ianus Casperius Gevartius, in Pompa Introitus Ferdinandi Austriaci Hisp. Infantis, Cardinalis, in vrbem Antuerpiam. Auroram quoque (cuius filius Hesperus) Pegaso vectam inducit Lycophron. Qua de re videndi Isaacius Tzetzes ad Lycophronem, & Eustathius ad Ψ Iliados.

Porro ut clarius constaret, equum hunc Veneris famulum esse, & Drusum Hespero assimilatum,

Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,

appositus est Cupido ductor & moderator habenarum, cuius

cuius ſub imagine haud dubie hic expreſſus eſt filius Germanici, de quo Suetonius cap. 7. lib. 4. *Vnus iam puераſcens raptus eſt inſigni feſtiuitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Liuia dedicauit: Auguſtus in cubiculo ſuo poſitam, quotieſcumque introiret, exoſculabatur*: quod Peireskio & Triſtano etiam viſum.

Supereſt vnus etiamnum Heros paludatus & laureatus, ac clypeum vtraque manu retinens. Hunc Peireskius D. Iulium, Triſtanus Druſum Germanicum eſſe credunt. Sed de Druſo iam dictum. Peireskij ſententiæ repugnant omnes veteres nummi, gemmæ & ſtatuæ, Iulium Cæſarem diverſa plane facie exhibentes. Ego, cum videam totam fere Tiberij Cæſaris domum hîc expreſſam eſſe, non invenio alium, cui hanc perſonam aſſignem, quam Tiberium Claudium Neronem, Tiberij Cæſaris patrem naturalem, qui Alexandrino bello claſſi præpoſitus, Ægyptios prælio navali vicit, ut Dio narrat libro 42. qua de cauſa hic laurea coronatus eſt. Deinde Peruſino bello L. Antonium ſecutus, deditione a ceteris facta, ſolus permanſit in partibus; atque ideo forſitan in hac gemma clypeum utraque manu retinet: nam deditionem facientes ſolebant clypeum abijcere, aut conuertere, aut capiti imponere. De his Appianus libro 11. Civilium: Οἱ δὲ ἐπέθεσαν ταῖς κεφαλαῖς τὰς ἀσπίδας, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον ἑαυτοὺς παραδιδόντων. De converſione clypei Ammianus l. 26. *Eumque ſecuti complures, iam pila quatientes & gladios, ad Imperatorem tranſeunt cum vexillis, ſcuta perverſa geſtantes, quod defectionis ſignum eſt apertiſſimum*. Themiſtius Orat. 9. de eadem hac defectione: Ἅμα τῷ γενέσθαι ἐντὸς τῶν σῶν ὀφθαλμῶν ὑπὸ μάλης ἔκρυπτον τὰς ἀσπίδας, ὥσπερ φώρια κακοῦργοι καταληφθέντες ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ. Ambroſius de Elia & ieiunio cap. 13. *In*

bello

bello si quis inferiorem se viderit, arma convertit, & meretur veniam. Argute itaque Tiberius Nero hic expressus videtur, non convertens & sub ala occultans clypeum, sed sinistræ aptatum, dextra etiam complectens, atque eo gestu ad D. Augustum accedens: quia, ut dixi, deditione a ceteris facta solus permansit in partibus, ac primo Præneste, inde Neapolim evasit, servisque ad pileum frustra vocatis in Siciliam profugit, & demum ad M. Antonium traiecit in Achaiam, cum quo, brevi reconciliata inter omnes pace, Romam rediit, ut Suetonius tradit. *Sanctiores* autem, Seneca teste, *tutioresque sunt hostibus suis, qui in fidem cum armis veniunt.*

Imum gemmæ segmentum refert illustres captivos Germanos, a Cæsare Germanico in triumpho traductos. Plerique recensentur a Strabone lib. 7. cuius verba adscribenda. Ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες καὶ παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα, καὶ γυναικῶν. Σεγιμοῦντός τε ὁ Σεγέστου υἱὸς Χηρούσκων ἡγεμὼν, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ γυνὴ δ᾽ Ἀρμινίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον Κυΐντίλιον παρασπονδήσει, καὶ ἔτι συνέχοντος τὸν πόλεμον. ὄνομα Θουσνέλδα καὶ υἱὸς τριετὴς Θουμελικός· ἔτι δὲ Σεσίθακος Σιγημήρου υἱὸς τῶν Χηρούσκων ἡγεμόνος· καὶ ἡ γυνὴ Ῥαμὶς Οὐκρομήρου θυγάτηρ ἡγεμόνος Χάττων· καὶ Δουδόριξ Βαιτόριγος τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ υἱὸς Σύγαμβρος. Σεγέστης δε ὁ πενθερὸς τοῦ Ἀρμινίου καὶ ἐξ ἀρχῆς διέστη πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ λαβὼν καιρὸν ηὐτομόλησε, καὶ τῷ θριάμβῳ παρῆν τῶν φιλτάτων ἐν τίμῃ ἀγόμενος. ἐπόμπευε δε καὶ Λίβυς τῶν Χάττων ἱερεὺς, καὶ ἄλλα δὲ σώματα ἐπομπεύθη ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν. *Pœnas tamen universi dederunt, & Germanico pulcherrimam triumphi materiam, in quo viros illustrissimos ac feminas traduxit. inter quos Segimundus erat Segestis filius, Cheruscorum Dux, sororque eius uxor Arminii,*

qui

(qui belli dux fuerat, cum violata pace Quinctilium Varum circumvenerunt, & nunc etiam bellum fovet) nomen Thusnelda: nec non filius eius Thumelicus, tres natus annos; & praeterea Sesithacus, Segimeri Cheruscorum Ducis filius, eiusque uxor Rhamis, Veromeri Cattorum Ducis filia: & Deudorix Sicamber, Baetoritis filius, qui frater erat Melonis. Segestes autem Arminij socer, qui & ab initio belli sententiae generi adversatus erat, & capto tempore ad Romanos transfugerat, tunc cum honore & dignitate intererat triumpho, in quo liberi eius traducebantur. Ductus est etiam in pompa Libys Cattorum sacerdos, alijque plures. Hactenus Strabo. & omnes quidem ab illo enumeratos captivos hac in Gemma spectari, vix mihi dubium est. Thusneldam sane agnosco, & in gremio eius Thumelicum, qui capite gestat circulum, non dissimilem spiris illis rotundis, quibus capita infantium munire solemus in Belgica & Germania; cetera nudus est. Tacitus de liberis veterum Germanorum: *In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt.* Thumelicum vero triennem in triumpho Germanici traductum fuisse, Strabo scribit: at, si Tacito fides, biennium vix excesserat; venit enim gravida Thusnelda in potestatem Germanici, & virilis sexus stirpem edidit, vere anni Iuliani LX. Druso Caesare & Norbano coss. Triumphavit autem Germanicus A. D. VII Kal. Iunias, anno Iuliano LXII. C. Caelio, L. Pomponio coss.

Iuvenem, qui Thusneldae assidet, fratrem eius Segimundum esse suspicor, de quo Tacitus lib. I. Annal. *Neque multo post Legati a Segeste venerunt, auxilium orantes adversus vim popularium, a queis circumsidebatur; validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat. nam Barbaris,*

quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus, rebus commotis potior habetur. Addiderat Segestes Legatis filium nomine Segimundum; sed iuvenis conscientia contabatur: quippe anno quo Germaniæ desciuere, Sacerdos apud Aram Vbiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneque exceptus, cum præsidio Gallicam in ripam missus est. Ara hæc Vbiorum videtur sacrata fuisse D. Iulio & Augusto. Hinc Arminius apud Tacitum libro eodem: *Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium: hominem Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint.* ubi legendum, redderet filio sacerdotium hominum: Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint. aut cùm viro Magno: *Redderet filio sacerdotium manium: Germanos numquam*, &c.

Gronovius lib. 2. cap. 3. Observat.

Adhæret Segimundo alius captivus revinctis post tergum manibus. Hunc Sesithacum patruelem Segimundi esse conijcio, mulieremque illi adiunctam, quæ parmæ incumbit, Rhamin vxorem Sesithaci. De Sesithaco Tacitus: *Iam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis præmissus, ipsum & filium eius in civitatem Vbiorum perduxerat, data vtrique venia; facile Segimero, cunctatius filio, quia Quinctilij Vari corpus inlusisse dicebatur.*

Barbarus in extremo gemmæ angulo sedens horrida facie, tortisque crinibus, Deudorix Sicamber esse videtur.

Ab altera parte, pone Thusneldam, alius captivus manu caput sustinet: hunc culter, seu machæra sacrifica, qua succingitur, Libyn esse arguit Cattorum sacerdotem: immo & vittæ mitraque capiti circumpositæ id indicare videntur; quamvis liquido discerni non possint in Gemma,

ma, quæ hac in parte iniuria temporis imminuta est.

Inter Libyn & Thusneldam apparet matrona Barbara, cum puella, quæ & ipsa barbarum in morem culta est. Arpi Principis Cattorum coniugem filiamque esse reor. de quibus Tacitus lib. 2. Annalium: *Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam prædam, & Arpi Principis Cattorum coniugem filiamque raperet.*

Atque hæc mea de pretiosissimo hoc monumento sententia: quæ si forte, ut vereor, nequaquam omnibus probatur, non repugno.

Καὶ περὶ μὲν τούτων ἀρκεῖ, λόγος ὡς ὁ παλαιὸς
Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ᾽ ἐστίν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

DISSERTATIO DE GEMMA AVGVSTÆA.

LAudat Suetonius moderationem Cæſaris Auguſti, quod *Templa, quamvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere, in nulla tamen provincia, niſi communi ſuo Romæque nomine ſuſcepit.* Hinc in marmoribus antiquis ſæpe legimus:

ROMÆ. ET. AVGVSTO
CÆSARI. DIVI. F.

&, SACERDOS. PERP. ROM. ET. AVG.
in alijs: FLAM. ROM. ET AVG.


Athenis quoque, antequam a Mahomete Turcarum Principe everterentur, veſtibulo templi in arce inſcriptum fuiſſe aiunt:

Ο ΔΗΜΟΣ. ΘΕΑΙ. ΡΩΜΗΙ. ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ.

Pari adulatione Herodes magnus, poſtquam urbem, Stratonis turrim ante nominatam, reparavit, & Cæſaream appellavit, templum ibi Auguſto ſacrum exſtruxit, binaque in illo ſimulacra poſuit, Τὸ μὲν Ῥώμης, τὸ δὲ Καίσαρος. ut Ioſephus tradit lib. 15. cap. 13. antiquitat. & uberius lib. 1. cap. 16. excidij. Καὶ τοῦ στόματος ἄντικρυς ναὸς Καίσαρος ἐπὶ γηλόφου κάλλει καὶ μεγέθει διάφορος, ἐν δὲ αὐτῷ κολοσσὸς Καίσαρος οὐκ ἀποδέων τοῦ Ὀλυμπίασι Διός, ᾧ καὶ προσείκασται, Ῥώμης δὲ ἴσος Ἥρᾳ τῇ κατ' Ἄργος. quæ male verſa a veteri interprete: *Contra*

oſtium

Pag. 212.





oſtium vero portus in colle, Cæſaris templum, magnitudine ſimul & pulchritudine conſpicuum, in eoque Cæſaris coloſſus, non minor quam Iovis apud Olympiam, cuius ad exemplar factus eſt, Romano autem par, & Iunoni, quæ Argis eſt. Nec melius Ioſephi mentem percepit Auctor librorum de excidio urbis Hieroſolymitanæ, qui ſub Hegeſippi perſona circumfertur lib.1.c.35. *Et templi medio coloßum conſtituit, Auguſti nomine, velut ſimulacrum ipſius, quod non minoris magnitudinis foret ſimulacro Olympij Iovis, aut Iunonis Argivæ.* Sed vtraque hæc interpretatio longiſſime a Ioſepho abit: dicit enim ille, Coloſſum quidem Cæſaris Olympico Iove non minorem, atque ad eamdem formam effectum fuiſſe; ſtatuam vero vrbis Romæ, æqualem magnitudine ſimulacro Iunonis Argivæ. Porro ut coloſſus Cæſarienſis Iovis, Olympici ſpecie formatus erat; ita in hac gemma Auguſtus σιώθεος Romæ Iovi aſſimilatus eſt. Nam & Pedo Albinovanus ei viventi Iovis nomen tribuit in Elegia ad Liviam:

Nata quod es alte, quod fœtibus aucta duobus,
Quodque etiam magno conſociata Iovi.

Habitum, quo Iupiter pingi ſolebat, deſcribit Porphyrius apud Euſebium lib.3. cap.9. Præparationis Evangelicæ: Ἀνθρωπόμορφον δὲ τοῦ Διὸς τὸ δείκελον πεποιήκασιν, ὅτι νοῦς ἦν καθ' ὃν ἐδημιούργει, καὶ λόγοις σπερματικοῖς ἀπετέλει τὰ πάντα. κάθηται δὲ, τὸ ἑδραῖον τῆς δυνάμεως αἰνιττόμενος. γυμνὰ δὲ ἔχει τὰ ἄνω, ὅτι φανερὸς ἐν τοῖς νοεροῖς καὶ τοῖς οὐρανίοις τοῦ κόσμου μέρεσίν ἐστι· σκέπεται δὲ αὐτοῦ τὰ πρόσθια, ὅτι ἀφανὴς τοῖς κάτω κεκρυμμένοις· ἔχει δὲ τῇ μὲν λαιᾷ τὸ σκῆπτρον, καθ' ὃ μάλιστα τῶν τοῦ σώματος μερῶν τὸ ἡγεμονικώτατόν τε καὶ νοερώτατον ὑποικουρεῖ σπλάγχνον ἡ καρδία. Βασιλεὺς γὰρ τοῦ κόσμου ὁ δημιουργὸς νοῦς· προτείνει δὲ τῇ δεξιᾷ, ἢ ἀετὸν ὅτι κρατεῖ τῶν ἀεροπόρων θεῶν, ὡς τῶν μεταρσίων ὀρνέων ὁ ἀετός. ἢ νίκην ὅτι νενίκηκεν αὐτὸς πάντα.

Codinus in Constantinopoli: Ἄγαλμα πλάττουσι τοῦ Διὸς καθήμενον ἔχον τὰ μὲν ἄνω γυμνὰ, τὰ δὲ κάτω σκεπασμένα· κρατεῖ δὲ τῇ μὲν εὐωνύμῳ χειρὶ σκῆπτρον, τῇ δὲ δεξιᾷ ἀετὸν προτείνει. Adde his, si lubet, Suidam in voce Ζεύς. Extant passim Græca & Romana numismata, in quibus Iupiter hac specie expressus cernitur, seminudus, & inferiores tantum corporis partes peplo tectus, sellæ insidens, & sinistra sceptrum tenens, dextra aquilam aut victoriam protendens. Immo in Tarraconensium nummis inscriptis, DEO AVGVSTO, ipse Augustus ita effictus est cum hasta & victoria, plane ut in hac gemma; præterquam quod non victoriam hic vel aquilam (quæ tamen sellæ apposita est) sed lituum dextra portat, ob auguratum nempe, quo omnes Romanorum Reges & Imperatores insigniti fuerunt. Romulum quidem Plutarchus affirmat Augurem fuisse, & gestasse ἐπὶ μαντικῇ τὸ καλούμενον λίτυον. Virgilius de Pico Latij Rege:

Apud Antoniū Augustinum dialogo 7.

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea.

Numa Pompilius, Ancus Marcius, Iulius Cæsar, Augustus, alijque Cæsares, in nummis antiquis sæpissime occurrunt cum lituis.

Roma Dea, Augusto assidens, Liviam vultu referre videtur: galeam, hastam, clypeum & parazonium habet, prout a Claudiano & Sidonio Roma ipsa describitur, & in priscis monumentis, quæ in Vrbe, in hortis Cæsijs & ædibus Iustinianæis supersunt, etiam nunc spectatur.

Romæ & Augusto superpositus est in orbiculo Capricornus: ——— *In Augusti felix qui fulserit ortum.*

Manil l.1.

Suetonius c. 94. *Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.* In Genethliaco enim

enim themate Auguſti, ſors Fortunæ (quæ ab antiquis Aſtrologis cenſebatur ὥσπερ σεληνιακὸς ὡρόσκοπος, velut *lunaris Horoſcopus*, a quo thema Athlorum deducebant) Capricornum obtinuit, ut optime pervidit Ptolemæus ſæculi noſtri Gotifredus Vendelinus qui in Commentario *De die natali Auguſti*, quem nobis propediem promittit, nodum hunc de Horoſcopo Auguſtæo, magnorum hactenus virorum ingenijs inexplicabilem, feliciter diſſolvit. Atque illius ſane ſententiam egregie firmant nummi Auguſtæi nota huius ſideris percuſſi, in quibus Capricornus plerumque gubernaculum navis, orbem & cornucopiæ præfert, ipſa nempe Fortunę inſignia; de qua Lactantius lib. 3. c. 29. Inſtitutionum Divinarum: *Nam ſimulacrum eius cum copiæ cornu & gubernaculo fingunt, tamquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Immo etiam fortaſſis eamdē ob cauſam, Capricornus hic orbiculo incluſus eſt: ſortem enim Fortunæ circulo decuſſato deſignant Aſtrologi; quia, ut Scaliger exiſtimat, ſortes omnes ligneæ vel eburneæ ita ſcalperentur. Genitus autem Auguſtus (ut hoc obiter hic addam) non menſe Iulio Iuliano, in quem conveniſſe tunc Septembrem antiquum credunt Scaliger, Calviſius, Keplerus, & alij; ſed IX. Kal. Octobris ad Kalendarium Iulianum reducti, paulo ante ſolis exortum, M. Tullio Cicerone, & C. Antonio coss. dies vero vigeſima tertia Septembris Iuliani, ſeu IX. Kal Octobris, incidit anno illo in XV. aut XIV. Kal. Novembris antiqui; qua die Cicero e ſomno excitatus a M. Craſſo, M. Marcello, & Scipione Metello, ac de coniuratione edoctus ex litteris ad Craſſum alioſque ſcriptis, prima luce convocavit Senatum, Octaviuſque pater Auguſti, ob uxoris puerperium, ſerius in Curiam venit.

Sed hæc in anteceſſum dicta ſunto; alias enim latius de hac re agemus Deo volente, annoſque Romanos veteres a Conſulatu Ciceronis & Antonij uſque ad reformationem Iulianam, cum annis Iulianis, quos fingimus ſemper fuiſſe, comparabimus.

A tergo Auguſti conſpicitur matrona turrito diademate, & velo tecta, quæ ſenem, nudum & vultu crinibuſque horridum, complectitur. Hunc Neptunum, illam Cybelen eſſe exiſtimo, a quibus Auguſtus laureo ſerto coronatur, ob victorias terra marique partas.

Adiacet his Agrippina Germanici, quæ dextro cubito ſolio Auguſtæo innixa, ſecuritatem populi Romani, hoc geſtu fere ſemper in nummis expreſſam, repræſentat, & ſimul hilaritatem generis humani ob felix Auguſti Imperium: qua de cauſa cingitur corona hederacea,

Læta quod pubes hedera virenti
Gaudeat.

Cornucopiæ quoque tenet, & puerulis nudis ſtipatur, ut Hilaritas in nummis Hadriani. Præterea ornata eſt circulo περιτραχηλίῳ, a quo aurea bulla dependet. Hoc genus ornamenti muliebris, Græci μηνίσκους, Latini *lunulas* appellabant. Vt enim Plutarchus ait in quæſtionibus Romanis, ubi de bullis puerorum agit: Τὸ φαινόμενον σχῆμα τῆς σελήνης, ὅταν ᾖ διχόμηνος, οὐ σφαιροειδὲς ἀλλὰ φακοειδές ἐστι καὶ δισκοειδές. De his lunulis Hieronymus ad caput tertium Iſaiæ: *Habent mulieres in lunulæ ſimilitudinem bullulas dependentes.* Et Baſilius: Μηνίσκος τοίνυν κόσμος ἐστὶ χρυσοῦς περιτραχήλιος κυκλοτερὴς ἀπειργασμένος. Suidas μηνίσκους interpretatur πέταλα περιτραχήλια. Extat apud me Cleopatræ imago in gemma, ſimili omnino bulla inſignis, cum M. Antonij imagine in pectore. Livillam quoque Druſi, nec non Meſſallinam,

eodem

eodem modo adornatas præferunt gemmæ veteres, quas Dux Bucquingamius olim a parente meo comparavit. Sed de his alijsque ornamentis muliebribus latius alibi agam Deo volente.

Ab altera sellæ Augustææ parte stat Germanicus Cæsar, Agrippinæ maritus, paludatus accinctusque, & læua manu capulum parazonij continens, nisi forte bulla triumphalis sit; nam in ectypo quidem liquido discerni non potest. Bullam autem inter insignia triumphantium enumerat Macrobius; & Germanicum triumphalibus ornamentis exornatum fuisse Dio testatur, ob strenue navatam in bello Illyrico operam.

Hoc bellum, quod gravissimum omnium externorum bellorum post Punica, ut Suetonius ait, per 55. legiones, paremque auxiliorum copiam triennio gessit Tiberius; exarsit æstate anni ab Vrbe condita Varroniani 759. sive Periodi Iulianæ 4719. M. Æmilio C. Arruntio coss. & profligatum ac demum confectum fuit anno V. C. 762. Periodi Iulianę 4722. P. Sulpitio Camerino, C. Poppęo Sabino coss. Quo quidem tempore ob domitos Dalmatas & Pannonas, triumphus Tiberio decretus: Germanico autem, legatisque alijs triumphalia ornamenta concessa fuerunt. Sed nuntiata interim clade Variana, Tiberius triumphum distulit: nihilominus urbem prætextatus & laurea coronatus intravit, atque statim ab Augusto in Germaniam missus fuit; vbi territo Arminio restituit rem, ut narrant Suetonius in Tiberio, Dio, Velleius, & alij.

Ad istam de Dalmatis Pannonijsque victoriam, dilatumque a Tiberio triumphum, pertinere videtur hæc gemma, quæ Tiberium laureatum, & picta aut prætexta toga amictum exhibet e curru triumphali, cuius habenas

Victoria moderatur, descendentem, ut nempe reparet fractas in Germania res, & Quinctilium Varum cæsasque legiones ulciscatur.

Segmenti inferioris descriptio.

In segmento inferiori, Romani milites trophæum statuunt de Dalmatis ac Pannonijs. Clypeus trophæo aptatus, insigne Scorpij præfert, quod bellicosis illis Gentibus non male convenit. Manilius lib. 4.

Scorpius armata violenta cuspide cauda
In bellum ardentes animos & Martia castra
Efficit, & multo gaudentem sanguine civem;
Nec præda quam cæde magis: quumque ipsa sub armis
Pax agitur, capiunt saltus, silvasque pererrant.

Captivi braccis, torquibus, cæteroque cultu Gallico adornati, Dalmatæ & Pannones sunt, quos Gallica etiam armatura usos Strabo tradit lib. 7. Ὁ δ' ὁπλισμὸς Κελτικός. Omnes fere earum nationum in hoc bello Duces Tiberius in triumpho traduxit, quem demum egit anno V. C. 765. Ovidius:

Totque tulisse Duces captivis addita collis
Vincula, pene hostes quot satis esse fuit.

Velleius lib. 2. *Quippe omnes eminentissimos hostium Duces occisos fama narravit, sed vinctos triumphus ostendit.* Præcipui inter eos fuere Bato Dysidiates, & Pinnes. Velleius: *Ferocem illam tot millium iuventutem, paulo ante servitutem minatam Italiæ, conferentem arma quibus usa erat apud flumen nomine Bathinum, prosternentemque se universam genibus Imperatoris, Batonemque & Pinnetem excelsissimos Duces, captum alterum, alterum a se deditum, iustis voluminibus ordine narrabimus, ut spero.* Et Pinnes quidem Batonis Breuci proditione in Romanorum potestatem venit, ut Dio auctor est l. 55. Ὁ Βάτων ὁ Βρεῦκος, ὁ τόν τε Πίννην προδούς. Ideo Barbarum,

barum, qui trophæo adſidet torvo vultu, vinctiſque poſt tergum manibus, Pinnetem eſſe ſuſpicor. Alter, qui in genua procumbens ſupplicis modo manus tendit, quin Bato Dyſidiates ſit, non dubito. Ille enim poſt expugnatum a Tiberio Anderium, pacem petijt, & miſſo prius filio Scæva, incolumitatem pactus, ſe ſuoſque Romanis tradidit; adductuſque ad Tiberium pro tribunali ſedentem, nihil quidem pro ſe deprecatus eſt, caput etiam tamquam abſcindendum protendens; multa vero pro ſuis verba fecit, uti fuſe narrat Dio. Tiberius enim poſt traductionem triumphalem, vita, veniaque, ac ingentibus etiam præmijs donavit. Ovidius:

Totque tuliſſe Duces captivis addita collis
Vincula, pene hoſtes quot ſatis eſſe fuit.
Maxima pars horum vitam veniamque tulere,
In quibus & belli ſumma caputque Bato.

Suetonius in Tiberio cap. 20. *Batonem Pannonium Ducem ingentibus donatum præmijs Ravennam tranſtulit, gratiam referens, quod ſe quondam cum exercitu iniquitate loci circumcluſum paſſus eſſet evadere.*

F I N I S.

ALBERTI RVBENI
DE
VRBIBVS NEOCORIS
DIATRIBE.

VIRO NOBILI ET AMPLISSIMO

MATTHÆO VAN BEVGHEM,

TOPARCHÆ D'OTTIGNIES, HAVTEM, &c.

CATHOLICO REGI A CONSILIIS ET RATIONIBVS IN BRABANTIA

S. P. D.

IOANNES GEORGIVS GRÆVIVS.

EX omnibus rebus, quæ ad præſidia vitæ humanæ nobis diuinitus ſunt conceſſæ, nihil maius & præſtantius eſt Sapientia; quæ regina eſt vitæ humanæ, moderatrix illius partis qua cenſemur homines,

nes, & qua ſola beatis illis genijs, quibus ſummus rerum Auctor ab ipſis mundi natalibus ingenuit omnium præclararum ſcientiarum intelligentiam, quin ipſi fere Deo nos reddit proximos. Quid enim Deus, niſi ipſa Sapientia? Hoc autem diuinum munus, vt nunc eſt, ſine eruditione non poſſumus adipiſci. Nam quamvis facultas intelligendi nobis ſit inſita; vires tamen ſuas illa nequit exercere, niſi animus liberali doctrina imbuatur: ſicut auri, quamdiu venis ſuis merſum, & in luto iacet abditum, nullum eſt pretium, niſi manu & induſtria hominum effodiatur, & fæcibus ſuis purgetur. Sane doctrina vim illam ſapiendi a natura nobis inditam promovet, ac quaſi in excelſam quamdam arcem locat, ex qua imperium in res mortales inhibet, & hunc mundum gubernat tamquam provinciam ſibi aſſignatam. Magiſtri autem huius doctrinæ unici, ſunt priſci Scriptores Græci Latinique, quorum egregia monumenta complectuntur artes illas & diſciplinas, quibus ad Sapientiam inſtituimur. Illa vero cum

tetris

tetris tenebris & caligine, propter antiquorum temporum, morum & ſermonis ignorantiam, ſunt obſcurata, tum fœdis obſita maculis, quas temporis & barbarorum iniuria eis inuſſit. In quibus tollendis, & illis diſcutiendis qui ſuam ponunt operam, næ illi ad ſapientiam non leve quid conferre iudicandi ſunt. Quantum in hoc genere valuerit ſocer tuus; quantam lucem rebus obſcuriſſimis offuderit; quot turpes extirpaverit mendas, quibus pulcherrima ſcripta contaminabantur, fama pridem celebravit; & cum maxime hi, quos ex ſchedis eius eruimus, & nunc tibi offerimus, libelli loquuntur. Cuius enim nomine iuſtius exornabuntur quam tuo, qui & ipſe præclare de his elegantioribus litteris exiſtimas, & graviſſimas occupationes, quas pro publica re ſuſtines, qui te totum Regi & patriæ tuæ impendis, Muſarum conſuetudine oblectas, & laudes ſoceri tui tuas ducis. Is, (ſi quis manium ſenſus) gaudebit filiam ſuam tam pulchram & felicem inveniſſe conditionem, ex qua orituri ſint nepotes, qui & tuæ, Vir Ampliſſime,

 me,

me, familiæ, & Rubeniani nominis decus & gloriam aliquando ſint propagaturi. Quod & ego voveo, Deumque volo huius voti te reddere compotem. Traiecti ad Rhenum, A. d. Kalend. Decemb. CIↃ. IↃC. LXIV.

ALBERTI RVBENI DE VRBIBVS NEOCORIS DIATRIBE.

QVi fuerint νεωκόροι templorum apud Græcos, nemo neſcit; cuſtodes nempe ſacrarum ædium. Ita in Etymologico νεωκόρος explicatur ὁ τοῦ νεὼ ἐπιμελούμενος. Apud Suidam νεωκόρος, ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων. Itaque & claves templorum cuſtodiæ Neocori commiſſæ erant, ut conſtat ex Ariſtide Orat. 1. ſacra, & alijs. Latini Æditumos olim, ut Varro & Gellius aiunt, deinde Ædituos vocavere, a cura tutelaque templi. *Gellius l. 12 c. 10.* Ita & Commentator vetus Horatij ad lib. 2. epiſt. *Varro l. 6. de LL.* *Æditui ſunt templorum cuſtodes & ſacerdotes, dicti ab æde & ſacris tuendis*: nam & ſacra templi omneſque cæremoniæ ad curam Æditui pertinebant. *Festus Pompeius.* Hinc & Suidas ἱερόν τι νεωκορήσας, exponit εὐφημότερον ἱερατεύσας. Sed & Latini quandoque Neocori verbo uſi ſunt, ut V. C. Seldenus probat ex marmoribus antiquis: quibus addi poteſt Iulius Firmicus de Errore profanarum religionum c. 14. de Serapide: *Hic in Ægypto colitur, hic adoratur. Huius ſimulacrum Neocororum turba cuſtodit, & ad memoriam vetuſtatis errans populus, ordinem ſacrorum in honorem integerrimi ac prudentiſſimi hominis conſtitutum, contentioſa hodie animoſitate cuſtodit.* Et alter Firmicus lib. 4. Matheſeos cap. 7. *Iſta coniunctio ſacri*

certaminis palmas coronasque largitur, aut ſacris certaminibus faciet eſſe præpoſitos, aut templorum fabricatores, aut ſimulacrorum conſecratores, aut certe Neocoros, vel ſacerdotum principes, aut magna in templis officia tractantes. Ab his Neocoris, aut Æditius, tranſlatus eſt haud diſſimili analogia titulus νεωκόρων ad populos aut civitates, in quorum ſolo conſtitutum erat templum aliquod toti Provinciæ commune, & publica panegyri ludiſve celebre. Namque, ut Strabo ait lib. 9. olim in Græcia civitates inter ſe, & gentes inter ſe conveniebant, cum natura ad communicationem facti, tum utilitatum invicem percipiendarum gratia; iiſdemque de cauſis & ad ſacrificia communia, feſtoſque dies & ſolemnitates celebrandas coibant. Ad amicitiam quippe conducit quidquid a menſæ libationum contubernijque proficiſcitur communitate; quod quanto maius eſt, & quanto per plures pervagatur, tanto etiam maiore cum utilitate coniunctum habetur. Atque hæc eſt cauſa a qua proceſſit ludorum Olympicorum, Pythiorum, aliorumque certaminum communium in Græcia inſtitutio.

Civitates enim illæ aut populi, quorum in ſolo aut territorio ſita erant templa aut aræ, ad quæ conventus communes totius Provinciæ agebantur, maxima cura ſtudebant, vt ſacrificiis ſacriſque certaminibus illa celebria redderentur. Sic Strabo lib. 8. ſcribit, Ætolos Oxylo duce cum occupaſſent Elidem pulſis Epeis, ſuſcepiſſe procurationem templi Iovis Olympij τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ ἱεροῦ τοῦ ὀλυμπίασιν ἣν εἶχον οἱ Ἀχαιοί. quam vero hic ἐπιμέλειαν τοῦ ἱεροῦ vocat, paulo ante ἀγωνοθεσίαν appellat οἱ οὖν Πισᾶται τὴν οἰκείαν ἀπολαβόντες αὐτοὶ συνετέλουν τὸν ἀγῶνα ὁρῶντες εὐδοκιμοῦντα· χρόνοις δ' ὕστερον μεταπεσούσης πάλιν τῆς Πισάτιδος εἰς τοὺς Ἠλείους μετέπεσε πάλιν εἰς αὐτοὺς καὶ ἡ ἀγωνοθεσία. A Gręcia templorum communium, ſacro-

ſacrorumque certaminum exemplum tranſijt in Aſiam: nam & Iones cum ex Europa in maritimam oram Cariæ migraverunt, & Dorienſes, his contigui, templa conſtruxerunt communibus expenſis; Iones Dianæ fanum Epheſi, Dorienſes Apollinis Triopij, quo ſtatis temporibus (verba ſunt Dionyſij Halicarnaſſei) cum uxoribus & liberis convenientes, una ſacris dabant operam & feſtis, mercimonijs, inſtitutiſque equeſtribus, gymnicis & muſicis certaminibus variis; deos quoque communibus donariis honorabant: peractis vero ſpectaculis ac feſtis ſolemnibus, ceteriſque humanitatis officiis invicem exhibitis, ſi qua inter civitates interceſſiſſet offenſio, conſidebant Iudices qui litem componerent; tum de bello contra barbaros gerendo, deque mutua gentis concordia conſulebatur in medium. Panegyris illa ſolemnis, quæ Epheſi in Dianæ Epheſiæ honorem a communi Ionum celebrabatur, Ἐφέσια vocabatur, ut Thucydides indicat l. 3. vbi de Delo inſula, Ἦν δέ πότε, καὶ τὸ πάλαι μεγάλη ξύνοδος ἐς τὴν Δῆλον τῶν Ἰώνων τε καὶ περικτιόνων νησιωτῶν· ξύν τε γὰρ γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐθεώρουν ὥσπερ νῦν ἐς τὰ Ἐφέσια. Quod feſtum ludoſque ibi inſtitutos vſque ad Caracallæ tempora perduraſſe, teſtatur vetus inſcriptio Arundelliana, in qua ΕΦΕΣΗΑ inter cetera certamina ſacra numerantur: atque ad hæc Epheſia referri debet nummus M. Antonij triumviri, in quo expreſſus tripus in corona oleagina, cum inſcriptione, ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. tripus enim & corona, ſymbola ſunt ſacrorum certaminum, quæ Epheſi peragi ſolebant. Itaque Epheſij ſe Neocoros inſcribunt, quia in urbe ſua ſitum erat templum Dianæ, in cuius honorem conventus ille ſolemnis ſacraque certamina a communi Ionum peragebantur. Atque hoc ſignificatu D. Lucas vocem

Lib. 4. Antiq.

Goltzius tab. 35. in Iulio.

cem νεωκόρον accipit Actorum cap 19. ubi Scriba, tumultum a Demetrio argentario excitatum compescens, ita loquitur: Ἄνδρες Ἐφέσιοι τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος ὃς οὐ γινώσκει, τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς; id est: *Viri Ephesij, quisnam est hominum qui ignorat, Ephesiorum civitatem cultricem seu æditoam esse magnæ deæ Dianæ, & simulacri e cælo delapsi?* Vocat hic Scriba, Ephesum Dianæ νεωκόρον, ut Tacitus Con insulam appellat Æsculapij ministram lib. 12. Annalium: *Retulit*, inquit, *dein* [Claudius] *de immunitate Cois tribuenda, multaque super antiquitate eorum memorauit: Argivos vel Ceum Latonæ parentem, vetustissimos insulæ cultores: mox adventu Æsculapij artem medendi illatam, maximeque inter posteros eius celebrem fuisse, nomina singulorum referens, & quibus quisque ætatibus viguissent. Quin etiam dixit Xenophontem, cuius scientia ipse uteretur, eadem familia ortum: precibusque eius dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi, sacram & tantam Dei ministram insulam colerent.* Vbi exprimere voluisse videtur vocem Græcam νεωκόρος: etenim in Co insula templum erat Æsculapij, Græcorum atque Insularum cultu celebre. Sed vt ad continentem Asiæ reuertar; non solum Ephesiæ Dianæ templum, sacraque Ephesia, communia erant Ionum; sed & alia quædam, ut Alexandræa, quæ prope Clazomenon celebrabantur, de quibus Strabo l. 13. Ὑπέρκειται δὲ καὶ τῶν Κλαζομενίων Χαλκιδέων ἄλσος καθιερωμένον Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου, καὶ Ἀγὼν ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων Ἀλεξάνδρεια καταγγέλλεται, συντελούμενος ἐνταυθά. In Prienensi quoque agro, Panionio dicto, templum erat Heliconij Neptuni, ὅπου, inquit Strabo, τὰ πανιώνια κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι καὶ θυσία· ἱερῶνται δὲ Πριηνεῖς. Quod latius explicat lib. 9. ubi ait, institui solitum ex populo Prienensi iuve-

Sanctamantius t.1.

Lib.14.

V. eumdem l.9.

iuvenem, quem βασιλέα appellabant, τῶν ἱερῶν ἐπιμελησόμενον.

Sed & Smyrnæ ad templum Iovis, Iones Olympia celebrabant, quæ Philostratus appellat τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ολύμπια, & τὰ κατὰ τὴν Σμύρναν Ὀλύμπια: quorum etiam mentio extat in marmoribus antiquis, & apud Pausaniam l. 6. ὡς δὲ ἀφίκετο ἀγῶνος καιρὸς ὃν Σμυρναῖοι Ἰώνων ἄγουσιν. atque etiam apud Philostratum, ut opinor, lib. 4. cap. 2. de Vita Apollonij: Ἀφικομένῳ δὲ αὐτῷ ἐς τὴν Σμύρναν προσταπλώτων μὲν οἱ Ἴωνες καὶ γὰρ ἔτυχον πανιώνια θύοντες. Et ad hæc Olympia spectare videtur nummus Augusti, in quo corona ex olea aut oleastro, & inscriptio ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ; ubi Smyrnæi Neocoros se appellant, ob procurationem cæremoniarum, sacrorumque communium, quæ illis incumbebat; utpote quorum in urbe situm erat templum, ad quod Olympia illa Ionum celebrabantur. Qua fere notione Suetonius Æditui verbo utitur in Augusto, cap. 5. *Cn. Lectorius, adolescens patricij generis, in deprecanda graviore adulterij pœna, præter ætatem atque natales hoc quoque patribus conscriptis allegavit, se esse possessorem ac velut Ædituum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset, petijtque donari quasi proprio suo ac peculiari deo.* Namque possessores soli, in quo templum, quod alijs commune, situm erat, ad sarta tecta templi tuenda, & sacrorum ludorumque statutorum celebrationem tenebantur. Ita Xenophon, ut ipse tradit lib. 5. ἀναβάσεως templum Dianæ Ephesiæ ex manubijs hostium extruxit in eo qui ad Scilluntem situs erat agro, & sacra ac festa ibi instituit, & columellam erexit prope templum, cum inscriptione, ΙΕΡΟϹ Ο ΧΩΡΟϹ ΤΗϹ ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. τὸν δὲ ἔχοντα καὶ καρπούμενον τὴν μὲν δεκάτην καταθύειν ἑκάστου ἔτους. ἐκ δὲ τοῦ περιττοῦ τὸν ναὸν ἐπισκευάζειν. ἐὰν δέ τις μὴ ποιῇ ταῦτα τῇ θεῷ μελήσει.

In vita Polemonis.

Apud Goltziũ in Augusto tab. 49.

Extat

Extat etiam Iulij Cæſaris nummus inſcriptus ΙΛΙΕΩΝ ΔΥC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. quia nempe in Ilienſium urbe olim ſacrarium erat Palladis,quod antea ignobile Alexander donariis auxit, & debellatis Perſis promiſit ſe delubrum celeberrimum conditurum, ſacrumque certamen inſtituturum: mortuo autem Alexandro, Lyſimachus templum extruxit, Strabone teſte lib. 15. Sacrum etiam Agonem inſtituiſſe videtur, quem ΙΛΙΑ vocatum fuiſſe exiſtimo, cuius mentio apud Euſebium in Chronico de Nerone, Ἰσθμίοις, καὶ Πυθίοις, καὶ Ἰλίοις, καὶ Ἀκτίοις ἐστεφανοῦτο. vide Heſychium in voce Ἴλεια. Deinde vero Iulius Cæſar, cum ob æmulationem Alexandri Magni, tum etiam ob cognationem ſibi cum Ilienſibus intercedentem, exornandum Ilium ſuſcepit, vt Strabo memorat: Χώραν τε δὴ προσένειμεν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐλευθερίαν καὶ τὴν ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε. Quin etiam (ut ex hoc nummo, qui Æneam præfert, conijcere licet) templum aliud Æneæ, Iuliæ gentis auctori, ædificauit, & ludos in honorem eius conſtituit; ita ut Ilienſes ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΟΙ facti ſint, Palladis nempe & Æneæ.

Ex Alexandri promiſſo.

Non ignoro, longè diverſam eſſe Cl. V. Io. Seldeni ſententiam, qui το ΔΙC aut ΤΡΙC, quod voci ΝΕΩΚΟΡΩΝ in nummis ſæpe adijcitur, non numerum Agonum, feſtorumque ſolemnium urbis νεωκόρου, ſignare exiſtimat, ſed *tantummodo muneris τῶν νεωκορῶν vices continuas: unde fiebat,* inquit, *ut intermiſſa prorogatione, alia nimirum ad ædituandum urbe ſuffecta, cives, qui hoc munere antea bis, ter quaterve continenter functi eſſent, vices ſuas, ſeu prorogationes denuo minime umquam dinumerarint; ſed à primâ vice, ſi quando iterum pluries νεωκόροι fierent, ſimiliter ut primo redauſpicarentur.* Sed opinio hæc, & fundamenta quibus illam ſuperſtruit, non nimis ſolida ſunt. Exiſtimat enim,

Aſiæ

Asiæ & ceterarum Provinciarum urbes mutitasse inter se, & νεωκόρου titulum ab una ad aliam in orbem translatum fuisse; atque ita nunc quidem Ephesios, deinde Smyrneos aliquando Pergamenos aut Magnesios communium Asiæ sacrorum procuratores fuisse, & ideo Neocoros dictos. Et præcipuum quidem huius sententiæ robur ponit in D. Luca Actorum cap. 19. Τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς. quem locum vertit: *Viri Ephesij, quisnam est hominum, qui ignorat Ephesiorum civitatem* ΝΕΩΚΟΡΟΝ *seu ædituam iam esse magnæ deæ Dianæ, & simulacri eius e cælo delapsi?* atque ita explicat: *Qualesnam* Νεωκόροι *fuerint, ubi ita cives vocantur, hinc perspicuum esse videtur. Scriba, qui velut Syndicus erat urbis, ut sedaret tumultuantem de Dianæ sacris Ephesiorum turbam, a Demetrio, ut suo quæstui consuleret, excitatam, & in theatrum ruentem, monet eam, ut in memoriam revocaret, Ephesi cives tunc temporis* νεωκόρους *Dianæ esse. Scimus enim ex Maximini numismatis, Magnesios eiusdem fuisse alias* νεωκόρους. Sed rationes hæ, quibus coniecturam suam fulcit, parum validæ mihi videntur; nec enim Scriba dicit apud D. Lucam, cives Ephesi tunc temporis Dianæ neocoros fuisse, sed urbem Ephesiorum magnæ Dianæ καὶ τοῦ Διοπετοῦς, νεωκόρον, id est, ædituam & ministram esse: ut enim S. P. Chrysostomus ait in argumento Epistolæ ad Ephesios, ἡ Ἔφεσος ἐστὶ μὲν τῆς Ἀσίας μητρόπολις ἐτελεῖτο δὲ τῇ Ἀρτέμιδι. Et Theophylactus: *Ephesus Asiæ metropolis erat; huius incolæ Dianam colebant, cui & templum dicaverant ornatissimum & magnificentissimum, quod in summa erat cum apud Græcos omnes, tum apud ipsos Ephesios, veneratione, unde Ephesus Dianæ Neocoros dicebatur; quemadmodum in Actis Apostolorum, litteris est mandatum.*

Ant. August. lib 2. f. 50. ubi Maximini nummus est

Apud Occonem & Erizzum.

datum. Nec quidquam adiuuat opinionem eruditiſſimi viri numiſma Maximini, inſcriptum ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ; nam & Magneſij titulo hoc gloriabantur, quia ſcilicet Magneſiæ templum erat Dianæ Leucophrynes, magnitudine quidem & multitudine donariorum Epheſio cedens, concinnitate autem & artificioſa ſtructura longè ſuperius; magnitudine etiam omnia Aſiatica ſuperans, duobus exceptis, Epheſio, & quod Didymis eſt, ut Strabo tradit lib. 14. Pauſanias etiam lib. 1. Μάγνητες Λευκοφρυηνὴν Ἄρτεμιν ἄγουσιν ἐν τιμῇ. quamobrem in aliis Magnetum nummis Dianæ caput expreſſum eſt cum arcu & pharetra; ſed plura de hoc templo Lipſius ad tertium Annal. Taciti, & Seldenus ad fœdus Smyrnæorum & Magnetum.

Simili modo etiam Perga, vrbs Pamphyliæ, Dianæ æditua erat, quia in ſublimi loco prope urbem illam templum erat Dianæ Pergææ ἐν ᾧ πανήγυρις, inquit Strabo, κατ' ἔτος συντελεῖται, cuius templi effigiem cernimus in Valeriani Salonini nummis, cum inſcriptione, ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑϹΥΛΟϹ ΙΕΡΟϹ. Atque hæc ſatis de urbibus νεωκόροις Dianæ, aliorumque deorum. Nunc de illis aliquid dicendum, quæ ob cultum & ſacra Romanorum Imperatorum penes ſe inſtituta, Neocoros ſe vocant.

Occo f. 475 & 476.

Poſtquam ſumma rerum ad Auguſtum tranſijt, Provinciæ, regeſque ſocij, eo adulationis proceſſere, ut divino illum cultu vivum etiamnum venerarentur, templaque ac aras, ludoſque quinquennales ut Deo ſacrarent. Philo de Legat. ad Caium: Ἀλλ' ὅτι καὶ πᾶσα ἡ οἰκουμένη τὰς ἰσολυμπίους αὐτῷ τιμὰς ἐψηφίσατο, καὶ ναοὺς, προπύλαια, προτεμενίσματα, στοὰς, ὡς ὅσαι τῶν πόλεων ἢ νέα ἢ παλαιὰ τῷ κάλλει καὶ μεγέθει τῶν Καισαρείων παρευημερεῖσθαι.

Sueto-

Suetonius c. 59. Provinciarum pleræque ſuper templa & aras, ludos quoque quinquennales pene oppidatim conſtituerunt: Reges amici atque ſocij, & ſinguli in ſuo quiſque regno Cæſareas urbes condiderunt. *Et cuncti ſimul ædem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi ſumptu deſtinaverunt, genioque eius dedicare.*

Inter Reges qui templis aliaque devotione Auguſtum proſecuti ſunt, eminuit Herodes Iudææ Rex, qui in Samariâ urbe condidit, Ναόν τε ἐνιδρυσάμενος (verba ſunt Ioſephi lib. 1. Ἁλώς c. 16.) τῷ Καίσαρι μέγιστον, καὶ περὶ αὐτὸν τέμενος ἀποδείξας τριῶν ἡμισταδίων, τὸ ἄστυ Σεβαστὴν ἐκάλεσεν, ἐξαίρετον δὲ τοῖς ἐν αὐτῷ παρέσχεν εὐνομίαν.

Phœniciæ etiam urbem, Stratonis turrim antea vocatam, reſtauravit, & portu ædificiiſque ſplendidiſſime exornatam Cæſaream appellavit, & contra oſtium portus, templum Cæſaris Auguſti conſtituit, magnitudine ſimul & pulchritudine conſpicuum, & quinquennale certamen adiecit, ut idem Ioſephus teſtatur lib. 1. Ἁλώς. cap. 16. & lib. 15. Antiquit. cap. 13. Sed & ad Iordanis fontes, in loco qui Panium dicebatur, elegantiſſimum fanum conſtruxit Auguſto e candido marmore; ubi deinde Philippus Petrarcha urbem ædificavit, Cæſaream Philippi: cuius incolæ ſe Neocoros Auguſti vocant in nummo æreo, qui ab una parte exhibet caput radiatum ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΠΑΤΕΡΟΣ ΠΑΤΡΙΔΟϹ; ab altera, templum ipſum ab Herode Auguſto conſecratum, cum inſcriptione ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΦΙΛΙΠΠΟΛΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Nec minor fuit Provinciarum quàm Regum adulatio, quarum pleræque magno ambitu impetrarunt, ut liceret ſibi aras ac templa Auguſto vivo mortuoque ſtatuere in celebri aliqua urbe, at-

Goltzius in Auguſto tab. 74. Occo 71. & 82. illic.

que

que ibi communi nomine totius Provinciæ ſacra ludoſque celebrare. Et Galli quidem, Iulo Antonio & Fabio Maximo coss. conſecrarunt Lugduni templum & aram Auguſti cum inſcriptione gentium LX. Galliæ, & imagine ſingularum: de qua & conventibus ludiſque ibi celebrari ſolitis, videndi Strabo, Iuvenalis, Suetonius, Dio & alij: ab Hiſpanis vero in Tarraconenſi colonia ara Auguſto ſtatuta fuit, in qua palmam enatam eſſe nuntiantibus Tarraconenſibus lepide Auguſtus, Apparet, inquit, quam ſæpe accendatis. Et Tarraconenſium nummi reperiuntur, in quibus ara cum palma expreſſa eſt. Vide Antonium Auguſtinum Dialogo 2. & Epigraphe C.V.T.T. poſt mortem deinde Auguſti, petentibus Hiſpanis, a Tiberio permiſſum, ut in colonia Tarraconenſi ſtrueretur templum Auguſto, *datumque*, inquit Tacitus, *in omnes Provincias exemplum*. Huius templi a communi Hiſpaniæ exſtructi icon apparet in nummo inſcripto C.V.T.T. ÆTERNITATIS AVGVSTÆ; quem videre licet apud Antonium Auguſtinum d. Dialogo ſecundo, ubi litteras illas, C.V.T.T. interpretatur, Colonia, Victrix, Togata, Tarraco. Occo etiam aliud aureum numiſma profert, in quo idem templum expreſſum cum inſcriptione, CVSTOS ÆTERNITATIS AVGVSTÆ. Quæ (ſi modo recte exſcripta ab Occone) Tarraconenſis colonia ſe cuſtodem Æternitatis Auguſtæ videtur appellare, eadem ratione qua Græcæ urbes, in quibus templa communia ſita erant, Neocoros ſe vocant. Sed nuſquam magis viguit hæc templorum ludorumque Auguſto, aliiſque Imperatoribus ſacrandorum ambitio, quam in Bithynia atque Aſia, ubi civitates non ſolum hoc præcipue titulo gloriabantur, quod plura aut pulchriora templa & ſacra eiuſ-

Suet. in Claudio.

Strabo l.4. f.1914.

Quinctil. l.6.cap.4.

eiuſmodi haberent; ſed & graviſſimas eo nomine controverſias inter ſe exercebant, dum ſingulæ primatum ſibi vendicant in communi Provinciæ concilio, ob numerum aut præſtantiam templorum, quorum νεωκόροι erant; de quo infra latius. Nunc adſcribam locum Dionis e lib. 51. ubi originem huius conſuetudinis exponit: Καῖσαρ δὲ ἐν τούτῳ τά τε ἄλλα ἐχρημάτιζε, καὶ τεμένη τῇ τε Ῥώμῃ καὶ τῷ πατρὶ τῷ Καίσαρι, ἥρωα αὐτὸν Ἰούλιον ὀνομάσας, ἔν τε Ἐφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν. αὗται γὰρ τότε αἱ πόλεις ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ προετετίμηντο. καὶ τούτους μὲν τοῖς Ῥωμαίοις τοῖς παρ' αὐτοῖς ἐποικοῦσι τιμᾶν προσέταξε· τοῖς δὲ δὴ ξένοις (Ἕλληνας σφᾶς ἐπικαλέσας) ἑαυτῷ τινὰ, τοῖς μὲν Ἀσιανοῖς ἐν Περγάμῳ, τοῖς δὲ Βιθυνοῖς ἐν Νικομηδείᾳ τεμενίσαι ἐπέτρεψε. καὶ τοῦτ' ἐκεῖθεν ἀρξάμενον, καὶ ἐπ' ἄλλων αὐτοκρατόρων οὐ μόνον ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθνεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὅσα τῶν Ῥωμαίων ἀκούει ἐγένετο. ἐν γὰρ τοι τῷ ἄστει αὐτῷ, τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ, οὐκ ἔστιν ὅστις τῶν καὶ ἐφ' ὁποσονοῦν λόγου τινὸς ἀξίων ἐτόλμησε τοῦτο ποιῆσαι· μεταλλάξασι μέντοι κἀνταῦθα τοῖς ὀρθῶς αὐταρχήσασιν ἄλλα τε ἰσόθεοι τιμαὶ δίδονται, καὶ δὴ καὶ ἡρῷα ποιεῖται. Vnde liquet, duplicis fuiſſe generis delubra hæc: quædam enim Imperatoribus a Senatu Romano in deos relatis decernebantur, quæ a civibus Romanis, qui illic habitabant, colebantur: alia principibus vivis a communi Provinciæ ſtatuebantur, quæ Provincialium ſolummodo cultu & veneratione honorabantur. Talia fuere templa hæc, quæ Auguſto viventi commune quidem Bithyniæ (id eſt τὸ κοίνων τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων, ut in L. 25. C. tit de appellat.) extruxit Nicomediæ; commune vero Aſiæ, Pergami, Καὶ ἔλαβον, inquit Dio, οἱ Περγαμηνοὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἱερὸν ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ τοῦ ναοῦ αὐτοῦ τιμῇ ποιεῖν. in inſcriptionibus antiquis hunc Agona Ἀυγούστεια vocari obſervavit V.C. Seldenus.

Sed & aliud deinde fanum Ancyræ, Augusto sacratum fuisse a communi Asiæ, testis ipse Augustus in edicto quod refert Iosephus lib. 16. Antiquit. cap. 10. cuius sacris qui præerat, ΣΕΒΑΣΤΟΦΑΝΤΗΣ dictus fuisse videtur, ut elicio ex inscriptionibus antiquis apud Gruterum, f. ccccx. & ccccxv.

Tiberius postquam Augusto successit, hoc honore diu abstinuit; immo & prohibuit, ne qua urbs aut Provincia sibi templum statueret. Sed deinde damnato Capitone procuratore Asiæ, quem Provinciæ accusaverunt, *decrevere Asiæ urbes templum Tiberio, matrique eius, ac Senatui, & permissum statuere.* (Tacitus l. 4. Annal.) Certasse ingenti ambitione in Senatu undecim Asiæ populos, dum in urbe quisque sua templum hoc statui postulant, & Smyrnæos tandem Senatusconsulto prælatos narrat fusè Tacitus lib. 4. Annal. atque hoc fuit, ut opinor, primum δόγμα συγκλήτου, quo Smyrnæi νεωκόροι τῶν Σεβαστῶν facti sunt.

Vt enim antea in Asia atque alibi νεωκόροι Dianæ, Iovis, Neptuni, &c. vocari solebant urbes illæ, quæ habebant ædes sacras, ubi panionia aliíve gentium conventus celebrabantur; ita postquam templa & ludi sacri Imperatoribus a communi Provinciæ institui cœpere, civitates illæ, in quibus templa Cæsarum decreto Senatus extructa erant, se Neocoros Imperatorum appellabant, ob commissam sibi curam templi & cæremoniarum Cæsaris illius, cuius νεωκόροι erant: immo etiam publice NVMINI EIVS IN PERPETVVM COLENDO se obligabant, ut apparet ex inscriptione Aræ Narbonensis apud Gruterum pag. CC.XXIX. Hinc Cyzicenis, qui inchoatum Augusto templum non perfecerunt, obiecta sub Tiberio fuit incu-

ria

ria cæremoniarum D. Augusti, & amisere libertatem, ut constat ex Tacito lib. 4. Annal. & Dione lib. 57. Ad hunc Cæsarum cultum pertinere existimo pleraque numismata, in quibus urbes Asiæ, Bithyniæ, Syriæ, ceterarumque Provinciarum se Neocoros appellant, non adscripto alterius Dei nomine: certe omnia illa post Augusti imperium signata, in quibus numerus ΔΙϹ, ΤΡΙϹ, ΤΕΤΡΑΚΙϹ voci ΝΕΩΚΟΡΩΝ adiicitur. Quod apparet ex nummo, quem Occo recenset; in quo ab una parte effigies videntur Caracallæ & Getæ, ab altera, Diana Ephesia inter duas statuas equestres, cum inscriptione, ΕΦΕϹΙΩΝ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΗϹ ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. id est, ut interpretor, ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ ΣΕΒΑϹΤΩΝ, ΚΑΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΗϹ ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ. In inscriptione antiqua quam exhibet Gruterus pag. CIƆXXI. vox ΣΕΒΑϹΤΩΝ plenius exprimitur, ΑϹΙΑϹ ΚΑΙ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΩΝ ΣΕΒΑϹΤΩΝ. Nec hactenus vidi inscriptionem, aut nummum post Augustæũ, ut dixi, ævum, ubi expresso Dianæ aut Iovis, alteriusve dei nomine, ΔΙϹ aut ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥ titulus urbi alicui tribuatur. Vnde liquet, ad templa Cæsarea plerasque has nummorum inscriptiones referendas esse: namque olim quidem, cum primum consuetudo illa suborta est, in Provincijs observasse videtur Senatus Romanus, ut ædes hæ & sacra in civitatibus vacuis, & nullo alterius numinis cultu occupatis statuerentur. Ita in celebri illo certamine undecim urbium Asiæ de templo Tiberij, *Pergamenos (eo ipso nitebantur) æde Augusti ibi sita satis adeptos creditum; Ephesij, Milesijque, hi Apollinis, illi Dianæ cæremonijs occupavisse civitates visi*, ut ait Tacitus lib. 4. Sed cum eadem vigente adulatione, novi semper honores novis Principibus dandi essent; plura procedente

dente tempore, una in urbe, Cæsarea, exstructa fuere, a quorum numero civitates illæ se ΔΙC, ΤΡΙC ΤΕΤΡΑΚΙC ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ vocabant. Et primum quidem a communi Asiæ templum Augusto Pergami statutum, & sacro certamine honoratum fuit, ut iam notavimus. Deinde Smyrnæi ut obtinuere, Tiberio matrique eius & Senatui decretum. V. Dionem in excerptis H. Valesij de Caio. Claudio etiam delubrum a communi Asiæ consecratum fuisse indicant nummi: cuius Ephesijs cura & tutela mandata fuit, ut suspicor; atque ita tres hæ metropoles Asiæ factæ sunt neocori ΤΩΝ ΣΕΒΑCΤΩΝ.

Sub Traiano vero aut Hadriano, Pergami alterum templum Traiano extructum fuit, in cuius honorem agon institutus ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ dictus, cuius mentio in inscriptione Arundelliana Publij Septimij, ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ Γ ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β. Quamobrem deinceps Pergameni se ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΟΥC inscripsere in nummis M. Antonini, Crispinæ, Pescennij Plautillæ & Getæ, donec sub Caracalla ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΟΙ facti sunt, ut infra uberius dicam.

Nullus autem Romanorum Principum adulationi Græculorum hac in re plenius indulsit Hadriano, qui passim sibi in Græcia sacra ludosque fieri permisit: & per Asiam iter faciens, templa sui nominis consecravit, Spartiano teste. Hæc a Græcis Ἁδριανεία vocata; & multa eorum, quæ imperfecta manserant, mortuo antequam absolverentur Hadriano, in Christianorum Ecclesias conversa fuisse observavit Casaubonus ad Historiæ Augustæ Scriptores: ita Hadrianæum, quod Tiberiade inchoatum erat, longo post tempore a Iosepho Comite, Christiano ritu consecratum fuit; & alterum Alexandriæ ὁ πρότερον

Ἁδρια-

Ἀδριανεῖον ἐτύγχανεν, ὕστερον Λικινιανὸν γέγονε γυμνάσιον, εἴτουν βασίλειον. μετέπειτα δὲ ἐν χρόνοις Κωνσταντίου ἔδοξεν αὐτὴν οἰκοδομηθῆναι ἐκκλησίαν, ut ait Epiphanius contra Arianos, quæ Ecclesia a Chriſtianis quoque Cæſarea dicta fuit, eodem Epiphanio teſte, aut καισάρειον, ut apud Socratem lib. 7. cap. 15. quod nomen illi adhæſit, non quia a Cæſare Conſtantio dedicata erat, ut viri docti exiſtimant; ſed quia olim Hadriano Cæſari deſtinata fuerat: omnes enim ædes Cæſaribus Romanis ſacratæ, generali nomine καισάρεια aut σεβάστια vocabantur, ut liquet ex Philone Iudæo de Legatione ad Caium, & Ioſepho lib. 1. de bello Iudaico cap. 16. Inter cetera templa ſui nominis, quæ Hadrianus per Aſiam iter faciens conſecravit, Hadrianæum ſibi a communi Aſiæ decretum Epheſi dedicaſſe videtur: namque in urbe illa ædem Hadriano exſtructam fuiſſe colligo ex inſcriptione Farneſiana, ubi habemus, ΕΦΕΣΟΝ Γ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ; ut & in Arundelliana, ΕΦΕΣΟΝ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ. Agones enim illos Auguſtales in honorem templorum inſtitui ſolitos, inter viros eruditos convenit. Itaque ab illo tempore Epheſij, qui antea æditui erant Claudij, vel alterius Imperatoris, δὶς νεωκόρους ſe vocant, ut in nummis Antonini Pij, qui Dianæ Epheſiæ delubrum inter duo alia præferunt cum titulo, ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. In alio L. Veri, inſcripto, ΕΦΕΣΙΟΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑC, expreſſum eſt ſimulacrum Dianæ Epheſiæ; medium inter togatas duorum Imperatorum ſtatuas. In æreo quoque Caracallæ numiſmate, quod ſupra explicavimus, legitur ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΗC ΑΡΤΕΜΙΔΟC. quod quidem poſtremum eſt inter omnia quæ hactenus vidi, ubi Epheſijs ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ titulus tribuitur; nam ab ipſo Caracalla deinde τρὶς, immo τετράκις

neocori facti sunt. Enimvero cum Pergameni & Ephesii iam δὶς νεωκόροι essent; Smyrnæi, qui de primatu contendebant, nec hac quidem in re inferiores esse voluere. Quare operam dedere, ut urbs sua etiam templo Hadriani, & titulo ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΟΝ augeretur; atque id tandem impetravere, subnixi gratia & facundia Polemonis Sophistæ, de quo Philostratus: Ἀδριανὸν γοῦν προσκείμενον τοῖς Ἐφεσίοις, οὕτω τι μετεποίησε τοῖς Σμυρναίοις, ὡς ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ χιλίας μυριάδας ἐπαντλῆσαι αὐτὸν τῇ πόλει. ἀφ' ὧν τά τε τοῦ σίτου ἐμπόρια ἐξεποιήθη, καὶ γυμνάσιον τὸ κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγαλοπρεπέστατον, καὶ νεὼς τηλεφανὴς ὁ ἐπὶ τῆς ἄκρας, ἀντικεῖσθαι δοκῶν τῷ Μίμαντι. Templum hoc ἐπὶ τῆς ἄκρας Hadriano sacratum fuisse nullus dubito, cum & Gymnasium illud Ἀδριανεῖον vocatum fuisse videam. Aristides Orat. prima sacrarum: Λουσάμενος νουμηνίᾳ ἐδόκουν ἐν τῷ Ἀδριανείῳ κεχρῖσθαι μέν, λελοῦσθαι δ' οὔ. Accedit præterea templi situs, quem Philostratus ponit ἐπὶ τῆς ἄκρας, ut Cæsarea templa statui solebant in urbibus maritimis. Vide Philonem in Legatione de σεβαστίῳ Alexandriæ, Aristidem in Cyzicena de Æde Hadriani, & Iosephum lib. 1. cap. 16. belli Iudaici, de templo Augusti Cæsareæ ab Herode condito. Sed omnem hac de re dubitandi ansam præcidit marmor Arundellianum donaria Smyrnæ continens, quod tradit Smyrnæos Polemone intercedente δὶς νεωκόρους factos. Verba ipsa ponam: ΚΑΙ ΟΣΑ ΕΠΕΤΥΧΟΜΕΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟϹ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΔΙ ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΠΟΛΕΜΩΝΟϹ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΔΟΓΜΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ ΚΑΘ Ο ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΙ ΓΕΓΟΝΑΜΕΝ ΑΓΩΝΑ ΙΕΡΟΝ ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΘΕΟΛΟΓΟΥΣ ΥΜΝΩΔΟΥΣ. Id est: *Et quæ accepimus a Domino Cæsare Hadriano per Antonium Polemonem, secundum nempe Senatusconsultum, quo bis Æditui facti sumus.* non enim accedo viro erudito, qui

qui vertit: *Quo tempore bis Æditui eramus, certamen ſacrum, immunitatem, Theologos, hymnorum cantores, &c.* Antonium autem Polemonem qui hoc in lapide memoratur, eſſe ipſum Sophiſtam de quo Philoſtratus, patet ex reſcripto Hadriani ad Smyrnæos dato Ἀντώνιος Πολέμων, & male editum Ἀντωνίνος Πολέμων, quæ corrupta lectio obſtitit, quo minus recte eruditus Interpres hunc locum verteret. Sed ut ad marmor revertar, hoc nos docet, etiam ἀγῶνα ἱερὸν Smyrnæ in honorem Hadriani tunc temporis conſtitutum fuiſſe, qui ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ vocatur in Arundelliana inſcriptione P. Septimij, & etiam a Philoſtrato in Polemone Artemidoro lib. 1. cap. 66. & in Farneſiana ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. atque ita etiam appellante Philoſtrato, qui ſcribit, Polemoni & poſteris eius datum, τὸ προεδρεύειν? τῶν Ἀδριανῶν Ὀλυμπίων. Hæc Adrianæa Olympia male a doctis viris cum Olympijs Ionum, de quibus antea, confunduntur, ut nec rectius illi qui certamen τὸ κοινὸν Ἀσίας, ipſiſſima eſſe τὰ κοινὰ τῆς Ἀσίας Ὀλύμπια affirmant. Seldenus ad marmora Arundelliana f. 159. nam hi tres agones planiſſime. diſtinguuntur in inſcriptione Farneſiana ΖΜΥΡΝΑΝ Ε ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ, ΔΙC ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ CΤΗCΑC ΤΟΥC ΑΝΤΑΓΩΝΙCΤΑC ΟΜΟΙΩC ΕΝ ΖΜΥΡΝΗ ΟΛΥΜΠΙΑ ΚΑΙ ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ.

Sed ut apertius hæc pateant, operæpretium me factum exiſtimo, ſi pauca propoſuero, quæ olim inter adverſaria mea retuli de communi Aſiæ, præſertim cum ad illuſtrandam hanc, quæ ſub manu eſt, quæſtionem de urbibus νεωκόροις, non parum conferant.

In Aſia varia fuiſſe συνέδρια, Ionum nempe, Dorienſium, Carium, Lyciorum, atque aliorum, ex Pauſania, Strabone, Dionyſio Halicarnaſſeo, alijſque Scriptoribus

 con-

conſtat; in quibus communia totius συστήματος negotia tractabantur, & communium templorum ſacrorumque ratio conſtituebatur. Tradit Strabo lib.14. tres & viginti fuiſſe urbes, quæ in communi Lyciæ ius habebant ſuffragij; conveniebant vero in eam quæ commoda videbatur urbem, Ἐν δὲ τῷ συνεδρείῳ, inquit, πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτ' ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος. Sic etiam Galatia quoque commune Concilium habebat, cui Galatarches præerat, ut conſtat ex antiquorum monumentorum inſcriptionibus, quas refert Gruterus pag. ccccx. & ccccxv. Idem in Pamphylia, Cappadocia, ceteriſque Aſiæ Provincijs obtinuit. Sed celeberrimum erat τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας συνέδριον, quod ad Aſiam minorem pertinebat, quo non ſolummodo conveniebant urbes illius Provinciæ, ſed etiam Legati ex pleriſque alijs Aſiæ urbibus, quæ τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας aſſociatæ erant, & fraternitatis quodam vinculo iunctæ, templorum ac ſacrorum communium participes erant, eadem ratione, qua Strabo ait, τοῦ Καρίου Διὸς ἱερὸν κοινὸν ἁπάντων Καρῶν fuiſſe, οὗ μέτεστι inquit, καὶ Λυδοῖς, καὶ Μυσοῖς ὡς ἀδελφοῖς. Itaque Galatia, quamuis proprium συνέδριον & Galatarchen haberet, tamen communis Aſiæ concilij pars erat, ut colligo ex Auguſti epiſtola apud Ioſephum lib. 16. antiquit. c. 10. ubi memoratur fanum Auguſto a Communi Aſiæ erectum Ancyræ, quæ metropolis Galatiæ erat.

Idem de pleriſque Aſiæ cis Taurum provincijs cenſeo. Bithyniam excipio, quæ ab Aſiæ communi ſeparatas habuit rationes, ob æmulationem aliquam, quod Dio Chryſoſtomus deplorat Orat. 38. ad Nicomedienſes: Ὄφελον ἐξῆν, καὶ τὸν Ἐφεσίων δῆμον ποιήσασθαι ἀδελφὸν ὑμῶν. ὄφελον δὲ τὰ Σμυρναίων οἰκοδομήματα κοινὰ ὑμῖν ἐγένετο. ταῦτα δὲ πάντα τηλικαῦτα ὄντα ἀγαθά, ἑνὸς ἕνεκα ὀνόματος ἀπόλλυται. πόιαν ὠφέλειαν, ποίαν ἡδονήν. Concilium

cilium hoc Aſiæ ſingulis,ut puto, quinquennijs congregabatur, non uno quidem in loco ſemper, ſed alternatim in celeberrimis τοῦ συστήματος urbibus; etenim nunc quidem Pergami τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας fuiſſe invenio; ut cum Ariſtides celebrem illam de concordia orationem habuit; alias Epheſi, ut cum Antoninus Pius Epiſtolam de Chriſtianis communi Aſiæ miſit, quam refert Euſebius lib. 4. cap. 12. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; & addit, προετέθη ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῷ Κοινῷ τῆς Ἀσίας: ſæpe Smyrnæ, ut inſcriptiones antiquæ nos docent; aliquando in Phrygia ſuperiore, ut teſtatur Ariſtides Orat. 4. ſacrarum: Καὶ συμβαίνει μετὰ τοῦτο, συνέδρους μὲν ἐξιέναι Σμυρναίων εἰς Φρυγίαν ἄνω, καὶ μέλλειν φέρειν τοὐμὸν ὄνομα ἐν τῷ συνεδρίῳ τῷ κοινῷ. Nominaverat eum iam antea Smyrnæorum populus in concione Ariſtidem ad Aſiarchiam, ut ſcribit eadem Orat. 4. Ὡς δὲ παρῆλθον εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ ὁ Δῆμος τὰ εἰωθότα ἐπεθορύβησεν, ἔργα εἶχον οἱ παρεσκευασμένοι, προστεῦντες τό· καὶ τὴν Ἱερωσύνην τὴν κοινὴν τῆς Ἀσίας ἀναπθέντες μοι. Itaque συνέδροι Smyrnæorum nomen eius ad commune Aſię, quod tunc in ſuperiori Phrygia celebrabatur, detulere; & electus fuit tertio vel quarto loco καὶ γίνομαι τρίτος ἢ τέταρτος τῇ χειροτονίᾳ. unde liquet, in hoc Aſiæ concilio non unum ſolummodo Aſiarcham creari ſolitum, ut in Lycia unus Lyciurches, in Galatia unus Galatarches, in Bithynia unus Bithyniarches eligebatur; ſed ob magnitudinem συστήματος, plures eodem tempore Aſiarchas fuiſſe. Quod etiam D. Lucas docet cap. 19. Actorum: Τινὲς δὲ τῶν Ἀσιαρχῶν ὄντες αὐτῷ φίλοι, πέμψαντες πρὸς αὐτὸν, παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. Et Strabo lib. 14. ubi de Trallibus: Συνοικεῖται δὲ καλῶς, εἴπερ τις ἄλλη τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπὸ εὐπόρων ἀνθρώπων, καὶ ἀεί τινες ἐξ αὐτῆς εἰσὶν οἱ πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσιν. Munus & cultum Aſiarcharum eleganter

deſcribit Dion Chryſoſtomus in Oratione 35. Celænis habita: Ἀλλ' οὓς σοφοὺς ὑμῖν ἀποδεικνύουσι, τρεῖς ἢ τέτταρας, κομήτας, καθάπερ τοὺς ἱερέας τῶν παρ' ἡμῖν. Τοὺς μακαρίους λέγω, τοὺς ἁπάντων ἄρχοντας τῶν ἱερέων, τοὺς ἐπωνύμους τῶν δύο ἠπείρων τῆς ἑτέρας ὅλης. Ταῦτα γάρ ἐστι τὰ ποιοῦντα καὶ τούτους εὐδαίμονας, στέφανος, καὶ πορφύρα, καὶ παιδάρια κομῶντα καὶ λιβανωτὸν φέροντα. Ita enim legendum hic cum Caſaubono locum hunc docte emendante: qui ait, quærendum eſſe, quinam ſint hi ſacerdotes; nec enim ſe quidquam legiſſe quo lucem afferat. Ego exiſtimo per ſacerdotes ἐπωνύμους τῶν δύο ἠπείρων τῆς ἑτέρας ὅλης, a Dione Aſiarchas deſcribi: quæ etenim ſint hæ duæ continentes a quibus denominabantur hi ſacerdotes, Herodotus declarat lib. 4. ubi Aſiam deſcribit, & ἀκτὰς appellat. Ἐντεῦθεν δὲ τὸ πρὸς ἑσπέρην ἀκταὶ διφασίαι. Vide Iſaacum Voſſium in Notis ad Scylacem Caryandenum f. 2. ad hæc coronam auream ſacerdotum Prouincialium inſigne fuiſſe, Tertullianus docet de Idololatria cap. 17. Ad Aſiarchas autem communium τοῦ συστήματος τῆς Ἀσίας templorum, ſacrorumque curam pertinuiſſe, ex Ariſtide apparet, qui Aſiarchiam appellat ἱερωσύνην τὴν κοινὴν τῆς Ἀσίας, & Dione, qui Aſiarchas deſcribit τοὺς ἁπάντων ἄρχοντας τῶν ἱερέων. Nulla autem alia templa aut ſacrificia communia fuiſſe τοῦ κοινοῦ Græcorum in Aſia habitantium (nam togati & Iudæi ad κοινὸν τῆς Ἀσίας non pertinebant) quam ædes cærimoniaſque Cæſarum Romanorum, invenio. Vnde non ſatis recte locutus videtur A. Gellius lib. 2. c. 6. dum ſcribit: *Quondam a communi Aſiæ Concilio decretum, uti nomen eius qui templum Dianæ Epheſiæ incenderat, ne quis vllo in tempore nominaret*: namque ad commune Ionum pertinebat templum Dianæ Epheſiæ, non ad commune Aſiæ.

Ceterum ad communium templorum ſacrorumque ſum-

ſumptus, omnes urbes τοῦ συστήματος conferre ſolitas, ex Dione patet Orat. 35. Celænis habita: Καὶ μὴν τῶν ἱερῶν τῆς Ἀσίας μέτεστιν ὑμῖν, τῆς τε δαπάνης τοσοῦτον, ὅσον ἐκείναις ταῖς πόλεσιν ἐν αἷς ἐστι τὰ ἱερά. Hanc collatitiam pecuniam diſpenſabant Aſiarchæ inter civitates νεωκόρους ad ſarta tecta templorum communium, editioneſque certaminum ſacrorum, quæ a Communi Aſiæ in urbibus νεωκόροις ad honorem templorum Cæſareorum inſtituta erant, ut Auguſtæa Pergami, Hadrianæa Epheſi, Hadrianæa Olympia Smyrnæ, quæ ſtato tempore & loco peragebantur. Sed præter hoſce ludos & ipſi Aſiarchæ ſuo quiſque die in urbibus μητροπόλεσι, ſuis ſumptibus ſpectacula edebant communi Provinciæ nomine, non ſecus ac Romæ Prætores ac Ædiles, in alijs urbibus duumviri, decuriones, atque quinquennales in auſpicijs dignitatis ſuæ facere ſolebant: de quibus Aſiarcharum editionibus cap. 10. Euſeb. lib. 4. cap. 14. ubi ait, cum Polycarpus inductus eſſet in theatrum ſub titulo Chriſtiani, Græcos omnes atque Iudæos Smyrnam incolentes exclamaſſe, atque poſtulaſſe a Philippo Aſiarcha, ἵνα ἐπαφῆ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. ὁ δὲ ἔφη μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια. Quod Ruffinus vertit: *Et poſt hæc verba acclamabant Philippo Munerario, ut leonem Polycarpo dimitteret. Qui reſpondit, Non ſibi licere, quia iam editionis ſuæ munus expleſſet.* Aſiarcharum autem Bithyniarcharum, Syriarcharum munera perduraſſe etiam ſub Principibus Chriſtianis, abolito iam cultu numinum templorumque communium, annotarunt Cuiacius Albaſpinæus, & alij; ita ut officium ſacerdotum Provincialium hac ſola ſpectaculorum editione cenſeretur: unde in Baſilicis Græci exponunt τὴν ἱερωσύνην τὸ ἐπιτελεῖν τὰ κυνηγέσια: hoſce ludos ab Aſiarchis exhiberi ſolitos, ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ

voca-

vocata fuisse existimo, ut in inscriptione Arundelliana ΣΜΥΡΝΑΝ ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ: & in Farnesiana ΣΜΥΡΝΑΝ Ε ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC. In Severi quoque & Gallieni nummis legimus ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ CΜΥΡΝ. Vnde apparet, prima Asiarcharum certamina Smyrnæ edi solita, quod obtinuit, ut existimo, postquam Smyrnæi primatum inter Asiæ metropoles adepti sunt. De quo pauca dicenda sunt. In communi Provinciæ concilio, pompisque ac ludis Provincialium sacerdotum, civitatis μητροπόλεως legatis primum locum attributum fuisse, non est dubium. Sed cum titulus μητροπόλεως ab Senatu aut Imperatoribus Romanis aliquando ab una urbe ad aliam transferretur, immo & plures metropoles nonnullis in Provincijs essent, maximæ sæpe controversiæ ob primatum excitatæ fuere.

Sic in Bithynia Nicæenses olim metropolitani erant; a quibus deinde honos hic ad Nicomedienses transijt. Hinc inimicitiæ gravissimæ & æternæ lites inter has urbes exarsere: ita ut tota Provincia duas in factiones scissa fuerit, dum alij Nicæensium, alij Nicomediensium partes fovent. Etenim Nicæenses quamvis metropoleos honore spoliati essent; tamen se πρώτους τῆς ἐπαρχείας inscribe-
T.1.p.334 bant, ut in nummo Domitiani apud Sanctamantium, in quo ara expressa est cum inscriptione, ΔΙΟΣ ΑΓΟΡΑΙΟΥ, ob conventus nempe forenses (ἀγοραίους D. Lucas appellat, ut Strabo) qui illic stato anni tempore a Præside Bythyniæ celebrari solebant. De his forensibus Proconsulum aut Legatorum conventibus vide Plinium lib. 10. Epist. Plutarchum in libello, Animi, an corporis passiones peiores sint; & Dionem in Orat. Celænis habita; cuius verba aliqua adscribam: Αἱ δίκαι κατ' ἔτος ἄγονται παρ' ὑμῖν. Et paulo post: Τοιγαροῦν, μέγιστον νομίζω πρὸς ἰσχὺν πόλεως τὸ τῶν

δικῶν

δικῶν· καὶ πάντες ἐσπουδάκασιν ὑπὲρ οὐδενὸς οὕτω. μέτεστι δὲ αὐτοῦ τῆς προεδρίας πόλεσιν, ἐν μέρει παρ' ἔτος: unde ſuſpicor omnes civitates, quæ conventum habebant, primas ſe vocaſſe. Quamvis Antoninus Pius in Epiſtola ad commune Aſiæ, quam refert Modeſtinus lib. 6. ff. de Excuſat. maximas urbes definiat, τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν; in ſecunda vero claſſe locet eas, quæ licet Metropoleos titulo non eſſent ornatæ, conventus tamen Forenſes habebant, τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν. De hoc nomine controverſum Dionis Chryſoſtomi tempore movere Nicomedienſes Nicæenſibus, dum pati nolunt, hos primos ſe ſcribere, ut conſtat ex pulcherrima Dionis Oratione, qua concordiam ſuadet Nicomedienſibus, quibus inter cetera dicit: ἂν δὲ τὸ μὲν τῆς μητροπόλεως ὑμῖν ὄνομα ἐξαίρετον ᾖ, τὸ δὲ τῶν πρωτείων κοινὸν ᾖ τι κατὰ τοῦτο ἐλαττοῦσθε. Vnde explicari poteſt inſcriptio nummorum Antonini Pij ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑΣ ΜΗΤΡΟΠ. ΠΡΩΤΗΣ. Demum rurſus Nicææ honorarius metropoleos titulus datus eſt reſcripto Valentiniani & Valentis, quod extat in Concilio Chalcedonenſi part. 2. act. 13. ſed corruptum & mutilum: quo præterea Imperatores illi, ut novam hanc metropolim aliquo modo æquarent Nicomediæ, ubi, utpote in vera metropoli, Bithyniarches ſolennem Provinciæ feſtivitatem & pompam agere ſolebat, alium ſacerdotem creari iubent, qui ſimilem Nicææ ſolennitatem celebret. Sic intelligo verba illa: Καὶ εἰς τὸ ἑξῆς αὐτὸν στέψαντες ἐν τῇ ὑμετέρᾳ πόλει προϊέναι ἐθεσπίσαμεν. Διαμενέτω τοίνυν εἰς τὸ διηνεκὲς ἡ συνήθεια αὕτη· ἡ πόλις ὑμῶν μητρόπολις ἔστω, τῆς συνηθείας τῆς ἐπὶ τῇ προόδῳ τοῦ Βιθυνιάρχου διαμενούσης· οὐδεὶς γὰρ ἀφαιρεῖταί τι τῶν ἄλλων. Nec minori mole in Aſia de primatu certauere metropoles Provinciæ illius; plures enim erant, ut docet Vlpianus in lib. 4. §. 5. de Officio Procoſ. ubi Antoninus Auguſtus reſcri-

Apud Triſtanū T. 1. f. 592

reſcribit, *Proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare*, καὶ τῶν Μητροπόλεων Ἔφεσον, *id eſt, inter matrices urbes Epheſum primam attingere.* malè enim vir eruditus, qui

Gothofredus. corrigit ἐς τὴν μητρόπολιν Ἔφεσον, atque inter Smyrnæos quidem, Epheſios, & Pergamenos, ut plurimum controverſias eo nomine agitatas fuiſſe, conſtat ex Ariſtide, & aliis: quare cum res ſæpe ad ſeditionem ſpectaret, vel ab Imperatoribus Romanis decretum, vel communi partium conſenſu ſtatutum fuiſſe videtur, ut primatus de quo diſſentiebant, cederet urbi metropoli, quæ plurium aut celebriorum templorum communium νεωκόρος eſſet. Sed nova hinc rurſus rixarum Ilias exorta, dum vnaquæque templorum feſtorumque ſuorum magnitudinem ac pulchritudinem extollens, primas occupare partes conatur. Indicat hoc Ariſtides in eleganti illa Orat. quam Pergami in communi Aſiæ ad diſcordes urbes habuit: verba ipſa quia pluſcula ſunt, Latine adſcribam:

T.2.f.330 *Miror autem vos, cum de templis ac certaminibus, quæ communia ducitis, non leviter gloriemini, de illis ipſis inter vos diſſidere: atqui cum de iis rebus, quibus tamquam communibus gaudetis, inter vos contenditis, de qua re tandem conſentietis? nam ego quidem hoc eſſe communis & privati diſcrimen arbitror, & huc referri ſapientum dictum, quo tradunt, communia eorum oportere eſſe omnia, qui beate velint vivere; ubi enim ſeorſum quiſque ſua poſsidet, utilitas etiam cuiuſque ſeorſum eſt poſita: inde vero ſeditiones oriuntur, ac pugnæ & contentiones; nam illud, Non tuum hoc, ſed meum, omnis eſt contentionis initium. Verum, ubi omnes omnia ducunt communia, communem etiam illorum curam gerunt. Jam vos has appellationes velut argumenta contra ſeditiones, rebus imponentes, communia quidem concilia, communia*

munia templa, communes ludos, & maxima ferè quæque nominaſtis communia; quapropter alterutrum neceſſariò peccatis? Si enim rectè de iſtis quæ communia ſunt gloriamini, quomodo de iſtis non pudet contendere? ſive iſta nullius ſunt pretij, cur ob ea vos iactatis? Etenim exiſtimo, ſi vos id latuiſſet hactenus, & ab aliquo repertum, vobis eſſet patefactum, quamdam horum partem etiam ad alios pertinere, nec eorum dumtaxat eſſe qui ea poſſident, verum omnibus communia, ut opes; nec poſſe alios prohiberi quominus de ijs glorientur, omnes tum diſſenſionis finem iure facturos fuiſſe. At cum ipſi ſcientes, nominantes, appellatione gaudentes, concordiæ occaſiones in ſeditionem vertitis, & nominibus fauſtis ad rerum perturbationem utimini, atque inde ægrotatis unde vos ſanari oportebat; quis non id eſſe perinde dixerit, ac ſi quis e pharmacis ad ſalutem comparatis non modo non ſanitatem, ſed interitum ſibi acquireret? Atqui templa ac certamina communia, de quibus inter ſe diſſidebant, non alia fuiſſe, quam illa quæ a communi Aſiæ Cæſaribus ſacrata erant, conſtat ex eodem Ariſtide in eadem illa Oratione, cum Pergamum prædicaturus ita orditur: Ἄρξομαι δ' ἀπὸ τῆς δεχομένης ἡμᾶς τανυνί. Καὶ ἣ τὸ βουλευτήριον, τοῖς περὶ τούτων λόγοις παρέχει. ὡς μὲν οὖν ἦρξέ ποτε τῶν περὶ τὸν τόπον τοῦτον, καὶ ὡς ὕστερον αὐτὰ ταῦτα ἐφ' οἷς φιλοτιμούμεθα ἐντεῦθεν ἔσχε τὴν ἀρχὴν ἐάσειν μοι δοκῶ. *Incipiam autem ab ea urbe, quæ nos nunc excipit, & hiſce ſermonibus curiam præbet. Quod quidem locis finitimis quondam imperavit, & deinde ea ipſa, de quibus gloriamur, originem hinc habuerint, omittendum duco.* Pergami enim primum omnium templum Auguſto à communi Aſiæ ſtatutum fuit.

Ceterum ab Imperatore & Senatu Romano, cum lis hæc Aſiaticarum urbium Romam delata eſſet, Smyrnæos

ob magnitudinem atque pulchritudinem Hadrianæi templi prælatos fuiſſe, Ariſtides docet in Epiſtola ad Imperatores Antoninum & Commodum, qua Smyrnam terræmotu everſam, & templum hoc ſubverſum deplorat: Τοῦ γὰρ νεὼ τοῦ νῦν καταδύντος οὕτω λαμπρῶς λέγεται τυχεῖν ὥστε ἀγωνιζομένους τὴν μὲν Ἀσίαν τῶν ἄλλων ἐθνῶν προκριθῆναι. Τῶν δ' ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεων τὴν Σμύρναν τοσοῦτον ὥστε τὴν μὲν ἄλλην Ἀσίαν, ἑπτὰ μόνας ψήφους μεταλαβεῖν. Τῇδε πόλει τετρακοσίας γενέσθαι μόνῃ. τοῦτο μὲν οὖν καὶ διὰ τῆς Ἀσίας κοσμίσαιτ' ἂν ἴσως, ἂν ὑμῖν δοκῇ· ἡ δὲ τῶν ὅλων ἐπανόρθωσις μόνων ὑμῶν οἷς οἱ θεοὶ τὰ τηλικαῦτα ἀπέδοσαν. *Quod enim nunc ſubverſum eſt templum, adeo fertur ſplendidum fuiſſe, ut contentione exorta, Aſia reliquis gentibus prælata ſit, Aſiæ urbibus Smyrna tantum; ut reliqua Aſia ſeptem dumtaxat calculos, urbs hæc ſola quadringentos ferret; atque hoc quidem fortè ab Aſia, ſi vobis ita videtur, reſtaurari poterit, univerſa verò urbis inſtauratio ad vos ſolos pertinet, quibus dij facultatem hanc dedere.*

Philoſtratus hanc aut ſimilem Smyrnæorum victoriam adſcribit eloquentiæ Polemonis, qui pendente lite defunctus erat: Ἤριζεν ἡ Σμύρνα ὑπὲρ τῶν ναῶν, καὶ τῶν ἐπ' αὐτοῖς δικαίων, ξύνδικον πεποιημένη τὸν Πολέμωνα, ἐς τέρμα ἤδη τοῦ βίου ἥκοντα· ἐπεὶ δὲ ἐν ὁρμῇ τῆς ὑπὲρ τῶν δικαίων ἀποδημίας ἐτελεύτησεν, ἐγένετο μὲν ἐπ' ἄλλοις ξυνδίκοις ἡ πόλις. πονηρῶς δὲ αὐτῶν ἐν τῷ βασιλείῳ δικαστηρίῳ διατιθεμένων τὸν λόγον, βλέψας ὁ αὐτοκράτωρ ἐς τοὺς τῶν Σμυρναίων ξυνηγόρους; οὐ Πολέμων εἶπε τουτεῒ τοὺς ἀγῶνας ξύνδικος ὑμῖν ἀποδέδεικτο; ναὶ ἔφασαν εἴγε τὸν σοφιστὴν λέγεις. καὶ ὁ αὐτοκράτωρ ἴσως οὖν ἔφη καὶ λόγον τινὰ συνέγραψεν ὑπὲρ τῶν δικαίων οἷα δὴ ἐπ' ἐμοῦ τε ἀγωνιούμενος καὶ ὑπὲρ τηλικούτων. Ἴσως ἔφασαν ὦ βασιλεῦ, ἐκεῖνο ἡμῖν γε εἰδέναι, καὶ ἔδωκεν ἀναβολὰς ὁ αὐτοκράτωρ τῇ δίκῃ ἐς' ἂν διακομισθῇ ὁ λόγος, ἀναγνωσθέντος δὲ ἐν τῷ δικαστηρίῳ κατ' αὐτὸν ἐψηφίσατο βασιλεύς. Καὶ ἀπῆλθεν ἡ Σμύρνα τὰ πρωτεῖα νικῶσα. *De templis ſuis eorumque iure*

Smyr-

Smyrna contendebat, & syndicum suum designaverat Polemonem, ad vitæ finem iam inclinantem Vt verò in ipso procinctu profectionis suæ obijt, alij syndici fuere substituti. Qui cum in Senatu coram Imperatore male causam agerent, conversus ad caussidicos Smyrnæorum Imperator, Nonne, inquit, Polemon huius causæ syndicus erat designatus? Immo vero, inquiunt, si de Sophista loqueris. Adhæc Imperator: Fortasse igitur & orationem aliquam conscripsit de iure Smyrnæ, ut coram me acturus, & de re tanti momenti. Fortasse, responderunt illi, non tamen certo scimus. Tum iudicio dilationem Imperator concessit, donec adferretur oratio; quæ in Senatu lecta, secundum ipsam decrevit Imperator, & Smyrna primas obtinuit.

Eodem S.C. quo Smyrna primatum adsecuta est, & illud decretum fuisse videtur, ut Asiarchæ, qui singulis quinquennijs (ut videtur colligi posse ex inscriptionibus antiquis & nummis) per urbes metropoles Asiæ spectacula communia edebant, primo loco ea Smyrnæ ederent. & sic explico nummos Severi & Gallieni, in quibus ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ CΜΥΡΝ, memorantur. Sed & Occo refert nummum Caracallæ, cum inscriptione CΜΗΡΝ ΠΡΩΤΩΝ ΤΩΝ CΕΒΑCΤΩΝ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΙ. ubi existimo Smyrnæos se inscribere ob ΠΡΩΤΟΥΣ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ ΤΩΝ CΕΒΑCΤΙΩΝ, id est primos Asiæ, ob pulchritudinem & magnitudinem templorum Augustalium; nam templa hæc Cæsarea, & σεβάστια vocata fuisse iam supra notavimus. Philo Iudæus in Legatione ad Caium de Augusto: Πᾶσα ἡ οἰκουμένη τὰς ἰσολυμπίους αὐτῷ τιμὰς ἐψηφίσατο, εἰς ναοὺς, καὶ προπύλαια, προτεμενίσματα, στοὰς, ὡς ὅσα τῶν πόλεων ἢ νέα ἢ παλαιὰ τῷ κάλλει καὶ μεγέθει τῶν καισαρείων παρευημερεῖσθαι, καὶ μάλιστα κατὰ τὴν ἡμετέραν Ἀλεξάνδρειαν. Οὐδὲ γὰρ τοιοῦτόν ἐστι

 τέμενος

τέμενος οἷον τὸ λεγόμενον Σεβάστιον, ἐπιβατηρίου Καίσαρος νεὼς, ἀντικρὺ τῶν εὐορμοτάτων λιμένων μετέωρος ἵδρυται μέγιστος καὶ ἐπιφανέστατος. videntur autem Smyrnæi in hoc Caracallæ numiſmate ſe expreſſe vocare primos ob magnitudinem & pulchritudinem templorum Auguſtalium, quia Epheſij & Pergameni illo tempore numero potiores erant: namque Epheſios ſe in Getæ & Caracallæ nummis ſe Γ νεωκόρυς, & deinde Δ νεωκόρυς ſe inſcribere video; & Pergamenos quoque ſub Caracalla Γ νεωκόρυς factos apparet ex pulcherrimo nummo Caracallæ inſcripto ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΕΠΙ ΣΤΡ. Μ. ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΑΤΤΑΛΟΥ, in quo tria templa expreſſa ſunt, unum nempe Auguſti, qui Iovis habitu in medio templi collocatus eſt, aquila & haſta pura: alterum Traiani, ut reor, tertium, novum illud ſub Caracalla erectum, quo ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΟΙ facti ſunt. Et hoc quidem Commodo conſecratum fuiſſe exiſtimo; nam certamina Commedæa Pergami inſtituta fuiſſe, Arundelliana inſcriptio nos docet ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ Γ ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ, ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ, ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β. & Commodo templa paſſim in Aſia ſacrata fuiſſe ſub Severo & Antonino Caracalla teſtantur plures nummi. Sic Laodiceæ commune Commodo & Antonino Caracallæ delubrum exædificatum fuit, & ingens in eo coloſſus Antonino erectus, quem exhibet numiſma æreum cum inſcriptione ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΟΜΟΔΟΥ ΚΕ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΔΟΓΜΑΤΙ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ; unde & hoc conſtat, urbes Provinciales Senatusconſulto Romano creatas plerumque, quod & Tacitus teſtatur, & marmor Arundellianum, ubi Smyrnæi memorant δεύτερον δόγμα συνκλήτου, quod bis neocori facti ſunt. Præterea Dio tradit, Saoterum Nicomedienſem, qui poſtea occiſus a Cleandro, magna

Apud Triſtanū T. 2.

Apud Occonē Erizzum & Triſtanū.

gna

gna apud Commodum gratia fuisse. Καὶ διὰ τοῦτο, inquit, καὶ οἱ Νικομηδεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγειν καὶ νεὼν τοῦ Κομμόδου παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον. Ob quod S.C. Nicomedienses, qui antea neocoros se inscribebant ob templum Augustæum illic à communi Bithyniæ erectum, ut in nummos M. Aurelij & *Occo f.296* Commodi, tunc titulum ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ assumpsere, ut *Tristanus T.1.f.747* in alio numismate Commodi, quod duo templa præfert, & in medio triennem cum inscriptione, ΝΙΚΩΜΙΔΕΩΝ *Apud Occonē f.362. & 363.* ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. qui idem titulus ijs tribuitur in multis alijs nummis Severi & Caracallæ; atque etiam Albini; nam male, ut existimo, Goltzius legit ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ Δ *Apud Occonē f.385.* ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum non dubites scriptum fuisse, ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Qui nummi Nicomediensium hoc titulo notati *Stradam f.87.* planissimā opinionem nostram de neocoris confirmant; exhibent enim plerique duo templa, ut etiam alij Caracallæ tria templa, cum inscriptione ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ *Apud Erizzum f.426.* ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ: quem tamen titulum deinde intermiserunt, cum templum Caracallæ imperfectum remanserit, *Occo f.408* ut suspicor: itaque rursus in Iuliæ Mammeæ nummis se ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥϹ appellant: atque etiam in pulcherrimo *Apud Tristanū T.2.f.517* numismate Gordiani, in quo templum signatum est, ramis frondibusque, & eximie adornatum: sub Valeriano *Occo f.466 & f.467.* deinde rursus resumpsere Nicomedienses nomen ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, ut indicant nummi duo apud Occonem, quorum unus exhibet aram inter tria templa, alter aram non habet, sed templa solummodo.

ALBER-

ALBERTI RVBENI
DISSERTATIO
DE
NVMMO AVGVSTI;
CVIVS EPIGRAPHE,
ASIA RECEPTA.

ALBERTI RVBENI DISSERTATIO DE NVMMO AVGVSTI; CVIVS EPIGRAPHE, ASIA RECEPTA.



INter nummos D. Augusti unus extat argenteus, in cuius postica parte expressi sunt gemini angues adversi, caudisque & spiris suis inter se impliciti, medio inter illos Victoriæ simulacro, cum inscriptione, ASIA RECEPTA. Similis nummus Vespasiani cernitur in Croyacis tab. 26. & D. Titi tab. 30. Ille Vespasiani inscriptus est, PONT. MAX. TR. P.

COS VI. Titi, PONTIF. TR. P. COS. IIII. Atque ita hi nummi eodem anno percussi sunt, cum Vespasianus VI. Titus IIII. Consules erant. Occo etiam ponit nummum aureum Antonij, in quo ab una parte caput eius visitur cum lituo, cum inscriptione, M. ANTON. IMP. ab alia, duo serpentes, in quorum medio basis, cui superstat figura stolata, dextra hastam, sinistra urceolum tenens, cum inscriptione, III VIR R P C.

Argentea quoque eiusdem numismata extant, in quibus ab una parte capita Antonij & Cleopatræ simul juncta conspiciuntur; ab alia, eadem figura cum urceolo & serpentibus, M.ANTON.IMP.COS.DESIG.ITER.ET TERT. ab alia parte III VIR R P C. In alijs Antonij effigies in corona hederæ: & ab aversa parte caput muliebre cippo impositum inter duos angues cum eadem inscriptione. Hi nummi Antonij signati sunt post autumnum anni V. C. 715. tunc enim Antonius post pacem Misenensem in Græciam proficiscens, designatus fuit Cos. iterum & tertium. Vide Appianum lib. 5. Civilium. in octo annos designati tunc fuerunt Coss. ultimus annus erat annus V.C. 723. Vide Dionem. Nusquam magis quam in his argenteis ænigmatis explicandis sese torserunt Antiquarij, ut Pierius, Valerianus, Sebastianus Erizzius, Æneas Vicus, & Antonius Augustinus; qui tamen ingenue se hæc non satis assequi confitetur.

Novissime etiam Ioannes Tristanus in nuperis suis de Nummis commentarijs, serpentes hic pro Victorijs accipit, ut & in alijs nummis D.CLAVDII: cuius sententiam explodet V. Clarissimus Casperius Gevartius in Triumpho Austriaco, sive Pompa introitus Serenissimi Principis Ferdinandi Austrij, Hispaniarum Infantis Cardinalis

dinalis, in urbem Antuerpiam, *Serpentem*, hoſtilitatis, diſſidij, ſeditionis, bellique ſymbolum hic eſſe cenſet Gevartius. Vtque in Mercurij Caduceo *Angues gemini*, virga media diviſi, hoſtes ſeiunctos, pacemque factam eſſe deſignant; ita in Numiſmate iſto Auguſteo idem ſymbolice & hieroglyphice denotari aſſerit. Nempe, Romani Imperij geminas in factiones diviſi hoſtilitates & diſſidia, bellumque civile, *Victoria* media eſſe dirempta, poſt M. Antonium apud Actium, auſpicijs ductuque Octaviani Auguſti ſuperatum. Et tunc ASIA eſt RECEPTA, quæ in diviſione Imperij M. Antonio obtigerat. *Angues* autem hoſtilitatis, bellique ſymbola eſſe, plurimis ille veterum Scriptorum teſtimonijs dicto libro adductis probat. Illius ego ſententiam ſecutus ſum in meo ad priſca Romanorum Imperatorum Commentario, quem adoleſcens ſcripſi. Nec mihi nunc animus illam, aut aliorum opiniones hic refutare; meam ſolum, quæ deinde mihi incidit, ſententiam hic in medium feram, quam ſubmitto cenſuræ Eruditorum, & præcipue Doctiſſimi viri D. Ludovici Nonnij, cuius exſtant eruditiſſimi in priſca Græciæ Numiſmata Commentarij. In numiſmatis Romanis & Græcis ſæpe nomen civitatis ubi percuſſa ſunt adijcitur, ſæpe inſigne ſolum urbis illius aut regionis. Ita quædam Iulij Cæſaris, quæ ne dubitari poſſet in Africa ſignata eſſe, litteris Punicis inſcribuntur, elephantem præferunt: alia eiuſdem formæ Latinis litteris inſignita ſunt. Sic etiam quædam percuſſa Valentiæ (quæ Calabriæ civitas eſt) olim Hipponium vocata, ob fertilitatem territorij illius; unde & Gelo Siciliæ tyrannus, locum a ſe prope Hipponium extructum, Cornucopiæ vocavit, ut refert Duris Samius apud Athenæum lib. 12. Hæc numiſmata

duo cornucopiæ habent cum adſcripto nomine VALENTIA. Alia ſine nomine urbis, ipſum ſolummodo inſigne gerunt, cum inſcriptione, CÆSAR. DICT. PERP. Sic & in Auguſti nummis, in quibus leo cervum devorans conſpicitur cum inſcriptione M.DVRMIVS III VIR; leo ille Veliæ civitatis inſigne eſt, ut patet ex nummis ΥΕΛΥΤΩΝ apud Goltzium, qui leonem habent itidem cervum devorantem; unde aut nummi illi Veliæ percuſſi ſunt, aut Durmius ille Velia oriundus erat. Idem videri poteſt in Lepidi nummis, qui equum cum ſcorpio præferunt, qui denotat, ut mihi videtur, nummos illos Hippone Africæ cuſos eſſe. Antonij etiam numiſmata quædam Alexandriæ percuſſa, palmam habent, Alexandriæ ſymbolum, cum inſcriptione, ALEXANDR. ÆGYPT. alia Auguſti ibidem ſignata, palmam ſolum præferunt, ſine adſcripto nomine Alexandriæ. Sed & aliquando, quamvis in poſtica parte nummi inſigne civitatis cernitur, ubi nummus ille ſignatus eſt; tamen & quædam alia adjiciuntur, ad Imperatorem aut Regem, in cuius honorem ſignatus eſt, ſpectantia. Sic in nummis Auguſti roſtrum navis expreſſum eſt ob victoriam Siculam: ſed & adiuncta eſt meta quædam ſeu obeliſcus, Copiæ civitatis inſigne, ut non male animadvertit Triſtanus, atque in quibuſdam nomen COPIA adſcriptum eſt, in alijs non. Sed ne longior ſim, Alexandri magni ſolum & Philippi numiſmata conſideremus.

In maiori parte numiſmatum Alexandri, ab una parte Alexandri caput leonina pelle indutum viſitur, ab altera Iupiter ſedens, haſtā ſiniſtra, aquilam dextra pręferens. Sed & alia quædam ſigna apponuntur, nempe caput bovis, Pegaſus, acroſtolion, navis, roſa, tridens, ſphynx, &c. ubi caput bo-

bovis, in Eubœa ſignatum nummum indicat: Pegaſus vero Corinthi, roſa Rhodi, acroſtolion Leucadis, tridens Træzenis, aut Teni, ſphynx Chij inſignia ſunt. Sic & in Philippi nummis cernitur iuvenis equo inſidens alluſione nempe ad Φιλίππȣ nomen facta; ſed nunc adjicitur clypeus ſeu ſcutum, nunc vero ſecuris anceps, quæ in Tenedo nummum ſignatum denotat, ut clypeus ille Thebarum aut Bæotiæ ſymbolum eſt. Eadem ratione in nummis L. Marcij Philippi homo equo inſidens viſitur. Quod quidam explicant de ſtatua illa, quam Livius lib. 9. ſcribit poſitam Marcio Tremulo ante ædem Caſtorum, alij de ſtatua quam Philippus Octavio Cæſari decrevit. Male, cum nihil aliud ſit quam mera alluſio ad nomen Φιλίππȣ, ut & in Philippi Macedonum regis nummis.

Cum igitur conſtet, ſæpe in poſtica parte nummorum, civitatis aut regionis inſigne adjici ſolere, ubi nummi illi percuſſi; ita & cenſeo hos Antonij, Octavij, Veſpaſiani & Titi nummos ſignatos eſſe in loco aliquo, cuius inſigne erant duo ſerpentes implexi. Romæ etenim hos nummos haud quoque percuſſos eſſe, colligitur ſatis ex forma ipſorum; cum enim omnes argentei Romani vſque ad Neronem æquali quaſi pondere ſint, ſeptimam aut octavam videlicet unciæ partem habentes, hi omnes aut maiores aut minores ſolito ſunt. De illo ſane Antonij, ubi mulier eſt cum urceolo, ita Occo: *Argenteus hic nummus eſt ſolito maior, antiquus tamen & legitimus, ut videtur, ſicut & præcedens trium denariorum ſeu drachmarum pondere, cuſus in Aſia fortaſſis aut Ægypto.* Auguſti vero nummus, quem penes me habeo, fere haud dimidiam partem ordinarij ponderis habet, de quo & ita Occo: *Putant quidam hunc nummulum eſſe ſeſtertium, qui dicti ſunt quaſi ſemiſtertij,*

stertij, eo quod duos asses cum semiße valerent. Cum igitur alibi quam Romæ nummi hi signati sint, ego non dubito affirmare, illos in Creta insula percussos esse, atque hoc denotare duos illos angues, qui Cretensium insigne sunt, ut patet ex nummis eorum apud Goltzium in Insulis Græciæ tab. 3. qui habent duos serpentes eodem modo implicitos, cum pharetra intermedia, & inscriptione ΚΡΗΤΑΙΩΝ. Alij etiam apud eumdem tab. 4. habent templum quoddam inter hos angues positum, cum inscriptione ΚΥΔΑΙΩΝ ΑΡΙΣΤΟΚΛΗΣ. Quidam etiam habent hos angues implexos cum Iove intermedio & inscriptione ΚΥΔΑΣ ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ. Ex quibus satis patet, hoc Cretensium insigne gentilitium esse.

Fortasse etiam fulcit hanc nostram sententiam, quod in nummo Antonij, ubi caput muliebre visitur inter duos angues, ab altera parte Antonij ipsius effigies ponitur in corona hederæ, quæ etiam in Cretensium nummis adijcitur. Quamvis enim sciam hoc explicari posse, quia Antonius Bacchus dici voluit; tamen haud ita absurdum est, existimare ob duplicem rationem adiunctam esse hanc coronam hederaceam, cum haud temere reperiri possit, eam addi Antonio nisi in nummo hoc, & quibusdam alijs Alexandriæ signatis; quæ urbs etiam Baccho sacra erat, ut constat ex Theophilo lib. 2. ad Autolycum. Ita & in quibusdam Augusti nummis (qui tamen haudquaquam se Dionysium appellari voluit) hederacea hæc corona adiungitur.

Sed quod omnem mihi dubitationem eximit, est, quod video basim illam, cui in Antonij nummis muliebre caput, & femina urceum tenens insistit; in Augusti vero, Vespasiani & Titi, Victoria, non aram esse vel cippum, ut

credunt,

credunt. Quod etiam vidit Antonius Augustinus Dialog. 3. ubi non audet definire quidnam illud sit, *Est*, inquit, *victoria columnæ insistens, sive trophæum illud, sive pulpitum appellare libet.* Cum enim in his Antonij & Augusti nummis semper eodem modo basis illa efficta sit, striis multis & lineis eam dividentibus; nusquam alibi in nummis aliis altare aut cippum eo modo effictum vidi: unde accurate inspecto nummo Augusti qui penes me est, assero, non aram esse vel cippum cui Victoria insistit; sed cistam mysticam (quod & vidit Pierius, qui lib. 15. Hieroglyph. cap. 14. ait Victoriam calathisco insistere.) eadem plane forma qua cernitur in nummis Cretensium apud Goltzium in Insulis Græciæ tab. 3. nummo 5. & tab. 4. nummo 3. nisi quod in his Cretensium nummis cistæ illæ levato paululum orificio expressæ sunt, in illis vero Augusti & Antonij penitus clausæ, utpote quibus alia quædam figura insistit. Cistam autem esse ostendunt illæ striæ, quæ cannas significant, ex quibus conflabantur cistæ. Isidorus xx. orig. 9. *Canistrum fissis cannis contextum, unde nuncupatur: alij Græcum asserunt. Cistella a costis ex canna vel ligno, quibus contexitur, nominata.* Vnde mihi videtur, ut Cretenses in nummis suis ab una parte duos angues, ab altera sacram cistam exprimebant; ita & in his Romanorum Impp. nummis in Creta signatis, cum Imperatoris caput unam partem numismatis occupet; a postica parte utraque simul Cretensium insignia, duos angues implexos & cistam mysticam, impressa esse.

Nec obstat, quod nummi hi litteris Latinis inscripti sint, cum lingua Græca Cretenses uterentur. Etenim multos Imperatorum Romanorum nummos reperias, qui

quamvis in Græcia vel Syria cuſi ſint, litteras tamen Latinas præferunt. Sic nummum Antonij habeo, in quo ab una parte Antonij caput eſt cum inſcriptione: IMP. ANTON. AVG. IMP. IIII. COS. DES. III. IIIVIR II.R.P.C. ab altera parte palma eſt in corona hederacea, cum inſcriptione, ALEXANDR. ÆGYPT. qui nummus cum ſine dubio ullo Alexandriæ in Ægypto percuſſus ſit, tamen Latinam inſcriptionem habet. Sic & nummi Bruti & Caſſij quamvis magna ex parte in Græcia, Macedonia, aut Aſia ſignati, litteris tamen Latinis inſcripti ſunt, ut & multi Lepidi nummi, quamvis in Africa percuſſi.

Adhæc urbes aliquæ in Creta erant, in quas Coloniæ Romanorum deductæ erant, ut de Cnoſſo Strabo teſtatur lib. 10. Νῦν δὲ Κνωσσὸς καὶ Ρ'ωμαίων ἀποικίαν ἔχει. *Nunc vero Cnoſſus & Romanorum Coloniam habet.* Nunc videndum, quare Cretenſes in numiſmatis ſuis duos angues implicitas, & ciſtam cum ſerpente impreſſerint; cum Creta inſula nullum venenatum animal producat, quod teſtantur Diodorus Siculus, Solinus, Ælianus, & alij. Cretenſes ut apud ſe natos deos primum, ita etiam ſacrificia, & myſteria atque Orgia inventa fuiſſe in Creta aſſerebant, quamvis & Phryges, & Thraces, & alij, Orgiorum inventionem ſibi ipſi adſcriberent. Luculentus hac de re locus apud Diodorum Siculum lib. 5. Bibliothecæ: Τὰς δὲ τιμὰς καὶ θυσίας καὶ τὰς περὶ τὰ μυστήρια τελετὰς ἐκ κρήτης εἰς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους παραδεδόσθαι λέγοντες τοῦτο φέρουσιν ὡς οἴονται μέγιστον τεκμήριον· τήν τε γὰρ παρ' Ἀθηναίοις ἐν Ἐλευσῖνι γινομένην τελετὴν ἐπιφανεστάτην σχεδὸν οὖσαν ἁπασῶν. καὶ τὴν ἐν σαμοθρᾴκῃ, καὶ τὴν ἐν θρᾴκῃ ἐν τοῖς Κικόσιν (ὅθεν ὁ καταδείξας Ὀρφεὺς ἦν) μυστικῶς παραδίδοσθαι· κατὰ δὲ τὴν κρήτην ἐν κνωσσῷ νόμιμον ἐξ ἀρχαίων εἶναι φανερῶς τὰς τελετὰς ταύτας πᾶσι παραδίδοσθαι, καὶ τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐν ἀπορρήτῳ παραδεδο-

δεδομένα παρ' αὐτοῖς μηδένα κρύπτειν τῶν βουλομένων τὰ τοιαῦτα γνώσκειν. *Porro ut honores quoque Deûm, & ſacrificia ritusque initiorum a ſe ad ceteros mortales perveniſſe probent, hoc pro maximo & firmiſſimo, ut perſuaſum habent, argumento confirmationis adducunt; Initiales, inquiunt, ritus apud Athenienſes Eleuſinij omnium celeberrimi, itemque Samothracij, & qui in Thracia uſitati ſunt, Ciconibus (unde inſtitutor horum Orpheus erat) myſtice traduntur. At in urbe Cretæ Cnoſſo ab antiquo ſancitum eſt, in propatulo illa tradi, & quæ in ſecreto a ceteris adminiſtrantur, ea neminem apud ſe, qui modo cognoſcere illa ſtudet, cælari.* Sed de hac Cretenſium cum Phrygibus, Thracibus, & alijs controverſia, videndus Strabo lib. 10. Euripides quoque in Bacchis Cretenſes enumerat inter miniſtros Bacchi una cum Phrygibus, Lydis & Thracijs:

Ω θαλάμευμα Κουρήτων
Ζάθεοί τε Κρῆτες
Διογενέτορες ἔναυλοι
Τρικόρυθες τ' ἐν ἄντροις
Βυρσότονον κύκλωμα τόδε
Μοι κορύβαντες εὗρον, &c.

O contubernium Curetum,
Et divini Cretenſes,
Iove geniti incolæ,
Triplicemque galeam geſtantes in antris
Hunc tympani rotundum orbem, intentum cono
Invenerunt mihi Coribantes.

Vt igitur Cretenſes ſe Bacchicorum Orgiorum inventores eſſe ſignificarent, ciſtam myſticam cum ſerpente in nummis ſuis ſignarunt; ut enim Clemens Alexandrinus ait in Parenetico: σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος. *Symbolum Bacchicorum Orgiorum eſt ſerpens myſterijs initiatus.*

tus. Porphyrio ad lib. 2. Odarum: *Bistonides Thraces sunt, quæ cum in sacris Liberi patris crinibus solutis versantur, angues & in capite & in manibus gestant.* Adde Catullum in Argonautico, & Euripidem, in Bacchis.

Hi autem Orgiastici serpentes fere erant ex illo anguium genere quos Græci παρείας vocant. Demosthenes pro Ctesiphonte de Æschine: Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ, καὶ τῇ λεύκῃ, τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν καὶ βοῶν καὶ Εὐοῖ Σαβοῖ καὶ ἐπορχούμενος Ὑης Ἀττης Ἀττης Ὑης· ἔξαρχος καὶ προηγεμὼν καὶ κιττοφόρος, καὶ λικνοφόρος, καὶ τὰ τοιαῦτα, ὑπὸ τῶν γραϊδίων προσαγορευόμενος, μισθὸν λαμβάνων τούτων ἔνθρυπτα καὶ στρεπτοὺς καὶ νεήλατα. Quæ ita vertit H. Wolfius: *Interdiu autem præclaros illos cœtus per viam ducens feniculo & populo redimitos, serpentes, quos Parias vocant, elidens, & super caput efferens, & clamitans, Euoe Saboe, & interim saltitans, Hyes Attes, Attes Hyes, auspex & dux & picifer & vannifer, & eius generis aliis nominibus, ab aniculis salutabare, mercedem pro istis ab aliis accipiebas placentas, & scriblitas, & recentes panes.* Sed ridiculus Wolfius, qui hic κιττοφόρον *piciferum* vertit, secutus Erasmum qui Culiade 4. Cent. 3. ita scribit. κιττοφόρος, *id est Picifer, vulgare convicium videtur in hominem infimum & despicatissimæ sortis. Siquidem Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, dicit Æschinem hoc nomine ab aviculis compellatum, quemadmodum &* λικνόφορον, *quod picas & vannos capite baiularet; nam his in mysteriis Bacchanalibus utebantur, quod ea avis sacra sit Baccho.* Melius Henricus Stephanus, qui in Thesauro suo κιττοφόρον exponit hederiferum, sive hedera coronatum, ut solebant esse ij qui Baccho Orgia faciebant, ut constat ex Plutarcho de Liberis educ. Sed nec hoc mihi satisfacit; non enim Baccho

Orgia

Orgia faciebat Æſchines, ſed Matri magnæ, ut aſſerit Strabo lib. 10. Demoſthenes quoque ait hos θιάσους τῷ μαράθρῳ καὶ τῇ λεύκῃ *feniculo & populo*, non hedera redimitos fuiſſe. Vnde mihi videtur ſcribendum eſſe in Demoſthene κιστοφόρους, non κιττοφόρους V. Suidam in κιστοφόρους: notum etiam illud Martialis, ——*Nupſiſti Gellia ciſtifero.*
Nec adeo recenter locus hic Demoſthenis corruptus eſt, cum iam ætate Harpocrationis quidam illic κιττοφόρους, alij κιστοφόρους ſcriberent. Harpocration Κιττοφόρους ἔνιοι γράφουσι κιστοφόρους, τὰς γὰρ λεγομένας κίστας ἱερὰς εἶναι ἔλεγον τοῦ Διονύσου, καὶ ταῖν θεαῖν. ita expreſſe locus hic legitur in M S. F. Morelli, ut notat Phil. Iacob. Mauſſacus. Quam lectionem etiam confirmat Suidas in voce κιστοφόρους. male vulgo editum eſt in Harpocratione Κιττοφόρους ἔνιοι διὰ δύο σσ γράφουσι κισσιφόρους. τὰς γὰρ λεγομένας κίσσας ἱερὰς εἶναι ἔλεγον τοῦ Διονύσου, καὶ ταῖν θεαῖν. Quæ corrupta lectio impoſuit Eraſmo & alijs, quod haud ita mirum: illud magis mirum, Phil. Iacob. Mauſſacũ, qui veram lectionem Codicis Morelliani vidit adhuc βαλανοφαγεῖν; ille ſic in diſſert. critica. f. 317. *Quamvis, ut verum fatear, parum mihi conſtet de vero huius intricatiſſimi, & ut ego exiſtimo, obſcuriſſimi loci ſenſu, &c.* Et poſt longam diſputationem interpretatur illud κισσοφόρους aut κιττοφόρους de Citta piſce Baccho ſacro. Quam bene, alij viderint.

Sed ut ad angues παρείας revertamur, de hoc genere ſerpentium ita Interpres Ariſtophanis in Plutum: Εἶδος δὲ ὄφεως ὁ παρείας παρὰ τὸ ἐπῆρθαι τὰς παρείας, φασὶ δὲ αὐτὸν μὴ δάκνειν. ἢ καὶ δάκνοντα μὴ λυπεῖν· μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ Δημοσθένης τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας φάσκων, καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Δημάδου λόγῳ· ἔστι δὲ καὶ τὸ τοιοῦτον εἶδος καὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ τὸ δὲ τοιοῦτον εἶδος εὑρίσκεται ἐν τοῖς ἱεροῖς τοῦ Διονύσου. V. etiam Suidam in voce ὄφεις παρείας. Quos etiam vocari tradunt παρὰ τὸ πεφυσιωμένας ἔχειν τὰς γνάθους

ἤγρουν τὰς παρειάς. Heſychius, magni Etymologici auctor, & alij. In his autem Auguſti, Veſpaſiani & Titi nummis obſervavi, ſerpentes, cum criſtati haudquaquam ſint, inflatis magis genis eſſe quam alios ſerpentes in numiſmatis expreſſos. In Cretenſium vero nummis anguis in ciſtam myſticam inſilit. In Bacchicis enim Orgijs dracones aut ſerpentes ciſtis includebant; quod ex marmoribus antiquis patet, in quibus Bacchantium chori expreſſi ſunt, ubi ſemper ciſtula aliqua cum ſerpente incluſo cernitur; ut Romæ in vaſis marmoreis quæ extant in hortis Iuſtinianæis, ſi rectè memini, ex quibus ciſtulas expreſſas hic exhibeo.



Clemens Alexandrinus in Parenetico: Οἷαι δὲ καὶ αἱ κίσται αἱ μυστικαί; δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἄρρητα ἐξειπεῖν· οὐ σησαμαῖ ταῦτα καὶ πυραμίδες καὶ τολύπαι καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροι τε ἁλῶν καὶ δράκων ὄργιον Διονύσου Βασσάρου. *Quales autem ſunt ciſtæ eorum myſticæ? oportet enim ſancta eorum revelare, & arcana enuntiare: an non ea ſunt ſeſamides & piramides, & lana bene elaborata, libaque multis diſtincta umbilicis, ſalisque pugilli, & draco orgium Dionyſi Baßari.* Sic & in vanno myſtica concluſos ſerpentes habebant. Plutarchus in Alexandro: Ἡ δὲ Ὀλυμπιὰς μᾶλλον ἑτέρων ζηλώσασα τὰς κατοχὰς, καὶ τοὺς ἐνθουσιασμοὺς ἐξάγουσα βαρβαρικώτερον, ὄφεις μεγάλους χειροήθεις ἐφείλκετο τοῖς θιάσοις * οἳ πολλάκις ἐκ τοῦ κιττοῦ καὶ τῶν μυστικῶν λίκνων παραναδυόμενοι, καὶ περιελιττόμενοι τοῖς θύρσοις τῶν γυναικῶν καὶ τοῖς στεφάνοις, ἐξέπληττον τοὺς ἄνδρας. *Olympias autem præ ceteris motum lymphaticum ſimulans, & fanaticum peragens ritum, horribiliore ſpectaculo ſerpentes manſuefactos trahebat thiaſis ingentes, qui ex hedera ſubinde & myſticis cunis obiter prorepentes, thyrſosque & coronas circumplexi percellebant viros.* Erat autem τὸ λίκνον, ſive vannus, ut Iunius Phylargyrus ait in 1. Georgicon, *vas vimineum latum, in quod propter capacitatem ruſtici congerere frugum primitias ſolent.* Sic & Heſychius λίκνον κανοῦν exponit, & Iulius Pollux lib. 6. cap. 12. Τὸ δὲ νῦν κανίσκιον, κανήτιον ἐκάλουν, ὡς καὶ τὸ λίκνον κάνητα.

* *Hic etiã forte legendum* οἱ πολλάκις ἐκ τῶν κιστῶν καὶ τῶν λίκνων παραναδυόμενοι, &c.

Ex his nullum dubium eſt, Cretenſes ciſtam cum ſerpente in nummis ſuis ſignaſſe ob Orgia Bacchica, quæ apud eos celebrabantur; quod & corona hederacea adiecta indicat.

Eamdem ob rationem etiam Macedones ciſtam myſticam aliquando nummis ſuis impreſſerunt, ut apud Goltzium in Græcia tab. 34. quia & ipſi Orgia hæc apud ſe inventa gloriabantur; hinc & Baſſarides feminæ Bacchi

chi comites peculiari ſignificatu vocantur μακέ), ut conſtat ex Euſtathio ad Iliad. Rapſod. quod obſervavit Caſaubonus ad Athenæum l.5. c.7. Atque hæc ſatis de ciſta.

Eadem cauſa adferri poteſt, quare Cretenſes duos angues implexos in nummis ſuis impreſſerint. Etenim in Bacchanalibus *pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.* Sed cum videam ab una parte nummorum Cretenſium ciſtam ſacram cum ſerpente cerni, ab altera hos duos angues eodem modo ſemper implexos, hic aliud quiddam myſticum latere credo.

Cretenſes cum alia omnia myſteria Cereris, Bacchi & Magnæ matris cum alijs gentibus communia celebrarent, tum hoc peculiare habebant, quod ipſi ſacra Iovis etiam cum Orgijs peragebant; quod nuſquam alibi fiebat. Strabo lib.10. poſtquam de Phœbi, Muſarum, Cereris, Bacchi, & Matris Deum Orgijs egit, Ἐν δὲ τῇ κρήτῃ, inquit, καὶ ταῦτα, καὶ τὰ τοῦ Διὸς ἱερὰ ἰδίως ἐπετελεῖτο μετ' ὀργιάσμου. *In Creta præter hæc peculiariter Iovis ſacra celebrantur cum Orgijs.* Hinc Iupiter Sabazius vocabatur, & Orgia hæc Sabazia ſive Iovis Sabazij ſacra: Sabazij enim vocantur Dij illi, in quorum honorem Orgia celebrantur. Sic Thraces, qui Dionyſiaca Orgia peragebant, Bacchum Sabazium vocabant, ut notat Scholiaſtes Ariſtophanis in Veſpas & in Aues. & Suidas ex eo in V. Σαβάζιος. V.etiam Harpocrationem & notas ibi Philippi Iac. Mauſſaci. Phryges econtra, qui Magnæ Matris & Atthidis Orgiaſtæ erant, Atthidem hoc nomine appellabant. Strabo lib. 10. Καὶ ὁ Σαβάζιος τῶν φρυγιακῶν ἐστὶ καὶ τρόπον τινὰ τῆς Μήτρος τὸ παιδίον, &c. Et Apuleius lib 8. Metamorph. *Omniparens Dea Syria, & ſanctus Sabazius.* Eodem modo Cretenſes, ut exiſtimo, qui ſoli mortalium ſacra Iovis cum Orgijs celebrabant, Iovi

in

in ſacris ſuis hoc nomen tribuebant: Τὸ γὰρ εὐάζειν οἱ βάρβαροι σαβάζειν φασίν· ὅθεν καὶ τῶν ἑλλήνων τινὲς ἀκολουθοῦντες τὸν εὐασμὸν Σαβασμὸν λέγουσιν, ut ait Interpres Ariſtophanis in Aues. Hinc Iovis Sabazij mentio in antiquis inſcriptionibus apud Gruterum pag. 22. Valerius Maximus lib. 1. cap. 3. *C. Cornelius Hiſpallus prætor, qui Sabazij Jovis cultu ſimulato mores Romanos inficere conati ſunt, domos ſuas repetere coëgit.* Huic Iovi Sabazio ſacri erãt dracones. Artemidorus Oneirocrit. lib. 2. c. 13. Δράκων ὁρώμενος σημαίνει καὶ θεοὺς πάντας, οἷς ἐστὶν ἱερός· εἰσὶ δὲ οἵδε· Ζεὺς Σαβάζιος (ita legendum, non σεβάσμιος, ut bene vidit Rigaltius) ἥλιος, δημήτηρ καὶ κόρη, ἑκάτη, ἀσκληπιός, ἥρωες. *Draco viſus ſignificat etiam deos omnes quibus ſacer eſt; ſunt autem hi, Iupiter Sabazius, Sol, Ceres & Proſerpina, Hecate, Æſculapius, & Heroes.* Hinc aliquis credat in nummis Coryciorum apud Goltzium in Inſulis Græciæ tab. 3. num. 9. ubi ab una parte ciſtula ſacra expreſſa eſt, ut in alijs Cretenſium; ab altera caput lauro coronatum cum ſerpente, qui circumvolutus eſt baculo, id Iovis Sabazij caput eſſe, non Æſculapij; ut in ΚΥΔΑΙΩΝ nummis idem caput viſitur, ſed ſine ſerpente, & ab altera parte aquila. non tamen id affirmo. Sed ut ad Orgia Iovis revertar, in his varij concubitus Iovis in draconis ſpecie exprimebantur. Iulius Firmicus de Errore profanarum religionum cap. 11. *Sebazium colentes Iovem, anguem, cum initiantur, per ſinum ducunt. Adhuc primi erroris vitia graſſantur; & quidquid hominem perdidit colitur, & funeſti anguis callida & malitioſa crudelitas adoratur.* Repræſentabatur autem per anguem hunc, qui per ſinum ducebatur, concubitus Iovis cum Proſerpina, cum qua coiſſe eum credebant in forma draconis. Clemens Alexandr. in Parenætico: Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις ὁ διὰ

 κόλπου

κόλπου Θεός· δράκων δέ ἐστιν οὗτος διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων· ἔλεγχος ἀκρασίας Διός. *Sabaziorum certe myſteriorum ſignum eſt iјs qui initiantur, Deus qui ſinum pervadit: eſt autem is draco qui extrahitur a ſinu eorum qui initiantur, evidens argumentum Jovis incontinentiæ.* Eadem habet Arnobius l.5. adverſus Gentes. Sic etiam credo, duos angues ita implicitos ſymbolum fuiſſe quod in iſtis Iovis Orgijs vſurpabant; ob concubitum nempe Iovis cum Rhea matre, cum qua in dracænam verſa coiit ipſe in draconem mutatus. Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis de Iove: Καὶ ὅτι τὴν μητέρα Ῥέαν ἀπαγορεύουσαν αὐτοῦ τὸν γάμον ἐδίωκε· δρακαίνης δ' αὐτῆς γενομένης, καὶ αὐτὸς εἰς δράκοντα μεταβαλὼν, συνδήσας αὐτὴν τῷ καλουμένῳ Ἡρακλειωτικῷ ἅμματι, ἐμίγη, τοῦ χήματος τῆς μίξεως σύμβολον ἡ τοῦ Ἑρμοῦ ῥάβδος. εἶθ' ὅτι Περσεφόνῃ τῇ θυγατρὶ ἐμίγη βιασάμενος καὶ ταύτην ἐν δράκοντος χήματι, ἐξ ἧς παῖς Διόνυσος αὐτῷ. *Matrem Rheam, quæ concubitus eius reſpuebat, perſecutus eſt, & cum illa ſe in dracænam convertiſſet, mox ipſe draco factus mixtus eſt cum illa,* Herculeo, *quod vocant, nodo adſtricta; cuius concubitus ſpecies in caduceo Mercurij ſpectatur. Poſtea etiam Proſerpinam filiam ſimiliter ſub draconis ſpecie violavit, & Dionyſium ex ea genuit.* Porro huius concubitus ſpeciem in his nummis expreſſam eſſe mihi perſuadet nodus ille quo duo angues inter ſe coniuncti ſunt; etenim & *hi dracones parte media voluminis ſui invicem nodo quem vocant Herculis obligantur.* ut de Caduceo Mercurij ſcribit Macrobius lib.1. cap.19. De nodo Herculano videndus Oribaſius de Laqueis cap.8.

Atque hæc mea de his ſerpentibus opinio eſt; cui nihil officit, quod Creta nullum animal venenatum producat, ut ſupra diximus: etenim ſerpentes illi, quorum in Orgijs uſus erat, fere erant ex illo anguium genere, quos Græci

Παρείας

Παρείας vocant, qui haudquaquam venenati ſunt, nec quamvis mordeant aliquem nocent illi; tales autem in Creta inſula etiamnum reperiri teſtatur oculatus teſtis P. Bellonius lib. 1. cap. 18.

Deinde orgiaſtici illi ſerpentes, quibus in myſterijs utebantur, haud ſemper veri & vivi angues erant, ſed ſæpe ficti ex auro, vel alio metallo: ita draco ille, qui in Iovis Orgiis per ſinum eorum ducebatur, qui myſterijs initiandi erant, ex auro factus erat. Arnobius lib. 5. *Ipſa noviſſime ſacra & ritus initiationis ipſius, quibus Sebazijs nomen eſt, teſtimonio poterunt eſſe veritati, in quibus aureus coluber in ſinum demittitur initiatis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus atque imis.*

Nunc ut particularem horum numiſmatum explanationem adjiciamus; in Cretenſium nummis apud Goltzium tab. 3. Inſularum Græciæ, ab una parte ſignati ſunt hi duo ſerpentes implexi cum pharetra intermedia, ob Orgia Iovis a Cretenſibus celebrari ſolita, & ſimul ob eorum in ſagittandi arte peritiam. Solinus c. 11. de Creta: *Prima mari potuit remis, & ſagittis.* Ab altera parte eſt ciſta myſtica cum ſerpente in corona hederacea, ob Bacchica myſteria.

In nummis ΚΥΔΑΙΩΝ apud eumdem tab. 4. ab una parte eſt eadem ciſtula, ab altera ijdem ſerpentes cum templo quodam in medio, quod Iovis eſſe credo.

In alijs ibidem Iupiter viſitur in medio anguium, tutelaris nempe Deus Cretæ, cui Orgia hæc celebrabant.

In Antonij nummis ab una parte effictum caput Antonij in corona hederæ M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. ab alia caput muliebre ciſtæ impoſitum inter duos dracones cum inſcript. III VIR. R.P.C. *1. Antonij nummus.*

Sebaſtianus Erizzus tradit caput hoc muliebre galeatum eſſe; quod ſi verum eſt (nec enim ipſum nummum videre mihi contigit) eſt caput Minervæ, quæ cor Liberi patris a Titanibus occiſi ciſtæ incluſit. Iulius Firmicus de errore profanarum Religionum cap.6. de myſterijs Cretenſium: *Præfertur ciſta, in qua cor ſoror latenter abſconderat.* Si caput hoc ſine galea eſt, Cleopatræ aut Dianæ Britomartidos eſſe exiſtimo.

2. Antonij nummus. In alijs Antonij ab una parte expreſſæ ſunt imagines Antonij & Cleopatræ, cum inſcriptione M. ANTON. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. Ab altera parte inſcriptio eſt III VIR R. P. C. & duo ſerpentes impliciti, ac ciſta myſtica, & figura muliebris ei inſiſtens, quæ urceum dextra, ſiniſtra haſtam puram tenet.

Pietas M. Antonij. Quam pietatem Antonij eſſe exiſtimo, qui forte myſterijs his initiari voluit. Vrceum manu tenet, ob Auguratum Antonij, aut Sacerdotium D. Iulij. Hinc & Antonius in nummis ſæpe cernitur cum urceo eiuſdem formæ, ut apud Goltzium tab. 32. numiſm. 12. & in Auguſto tab. 25. num. 7. & tab. 26. num. 5. & ſæpe alias.

Nec mirum, in Creta hos nummos in honorem Antonij ſignatos eſſe, cum pater eius Creticus cognominatus ſit, teſte Plutarcho.

Creta Libera. Antonius etiam Cretam inſulam liberam eſſe voluit: Cicero in Orat contra Antonium apud Dionem lib. 45. Καὶ ποῦ τοῦτο γεγραμμένον εὗρες; ὥσπερ καὶ τὸ τοὺς Κρῆτας ἐλευθέρους μετὰ τὴν τοῦ Βρούτου ἀρχὴν γενέσθαι, ὧν ἡμεῖς μετὰ τὴν τοῦ Καίσαρος θάνατον ἄρξαι ἐψηφισάμεθα. *Vbi vero hoc ſcriptum inveniſti? quemadmodum & illud, ut Cretenſes poſt Bruti præfecturam liberi forent. Quibus nos ut imperaremus, poſt Cæſaris mortem ſtatuimus.* Cui reſpondet deinde lib. 46. Q. Fuſius Calenus.

Augu-

Augusti Cæsaris nummus ab una parte habet caput eius cum inscriptione, CÆSAR IMP. VII. ab altera parte cista eadem inter duos serpentes, cui insistit Victoria, cum inscriptione, ASIA RECEPTA. In hoc vero nummulo in Creta percusso, præter serpentes & cistam Cretæ insignia, adiuncta est victoria Actiaca, qua Cæsar Asiam recepit; in qua victoria obtinenda haud malam operam Cæsari præstiterunt Cydoniatæ & Lampæi Cretæ incolæ, quibus ideo Cæsar statim post victoriam libertatem dedit. Dio lib. 51. Κυδωνεάτας τε καὶ Λαμπαίους ἐλευθέρους ἀφῆκεν, ὅτι τινὰ αὐτῷ συνήραντο· καὶ τοῖς γε Λαμπαίοις καὶ τὴν πόλιν ἀνεστῶσαν συγκατῴκισε. *Cydoniis ac Lampæis libertatem dedit, præstiti sibi auxilij caussa, instaurata etiam Lampæorum civitate, quæ eversa fuerat.*

In nummis Vespasiani & Titi, victoria Iudaica cum Cretensium insignibus expressa est. Sed toto cælo errant, qui nummulum illum Augusti sestertium Romanum esse credunt: cum enim sestertius quarta solummodo denarij pars esset; hic nummulus valet dimidium denarij & duo circiter minuta; unde haud vane credo Cistophorum esse; qui nummus erat Græcus, qui per Asiam Eubœam, Rhodum, & circumvicinas insulas eo tempore currebat, ut ex Cicerone & Festo constat, & æstimabatur quinque assibus, & aliquot minutis, ut hic nummus Augustæus. Festus: *Euboicum talentum nummo Græco septem millium & quingentorm cistophorûm est, nostro quatuor millium denariorum.* Vnde conjicio, cistophorum fuisse monetæ Creticæ speciem quæ cistophoros dicebatur, quod cistam mysticam, Cretæ insulæ insigne, impressam haberet.

Occo f. 51. D. Lud. Nonnius Archiater Antuerpianus, Antiquarius eximius, quem sua & Gevartiana super Augustæi Nummi *interpretatione cõtroversia Arbitrum delegerat Rubenius; iuxta Gevartij sententiam suffragium suũ dedit.*

ALBERTI RVBENI
DISSERTATIO
DE
NATALI DIE
CÆSARIS
AVGVSTI.

ALBERTI RVBENI DISSERTATIO DE NATALI DIE CÆSARIS AVGVSTI.

DE natali die Auguſti lis haud magni quidem, ut verum dicam, per ſe momenti, ſed quæ tamen ingentem hiſtoriæ lucem affundere poſſit, iam dudum ingenia eruditorum exercet. Nodus & cardo controverſiæ naſcitur ex Suetonio, qui cap. 94. ſcribit: *In ſeceſſu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa aſcenderat, cum Agrippæ, qui prior conſulebat, magna & pæne incredibilia prædicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere perſeverabat, metu ac pudore ne minor inveniretur. Qua tamen poſt multas adhortationes vix & cunctanter edita exſiluit Theogenes, adoravitque eum. Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit.* At cap. 5. aſſerit, Auguſtum natum nono Kalendas Octobris paulo ante ſolis exortum. Quærunt viri docti, an nono Kal. Octobris, quem non ſolum Suetonius, ſed etiam marmora antiqua natali Auguſti aſſignant, intelligendus ſit ex ratione Kalendarij veteris Romani anni Iuliani: deinde ſi nono Kal. Octobr. Pompil. natus ſit Auguſtus, in quem diem Kalendarij Iu-

liani natalis eius incidat. Dubium enim eſt, an nono Kal. Octob. anni veteris Romani ante emendationem Iulianam intelligendus ſit, an vero reducendus ſit dies ille ſecundum annos Iulianos. Si Kalendarium vetus ſecutum eſſe Suetonium dicimus, quæritur, in quem diem anni Iuliani, ut appellamus, cadat dies IX. Kal. Octobr. veteris; ſin vero natum Auguſtum dicimus A.D.IX.Kal. Octobris anni Iuliani, ſupereſt ille inexplicabilis nodus, quomodo Capricornus poſſit dici eius horoſcopus, cum ſit Libra; vel, ut alij volunt, Virgo, & tamen Auguſtum tantam ſideris ſui fiduciam habuiſſe Suetonius teſtetur, ut nummos percuſſerit, quales imagine Capricorni ſignati plurimi etiamnum extant. Vt omittam velitationes Teſſauri & Monodi, ipſe Ioſephus Scaliger, qui emendandi temporis provinciam propriam ſibi vendicavit, quantum hac in re æſtuat, ut Protei more

—formas ſe vertit in omnes.

& poſt hariolationem de horoſcopo σπορίμῳ, quæ a Ludovico Carrione refutata eſt lib. 2. Emendat. cap. 2. demum decernit manifeſtum mendum eſſe in Suetonio, non utique librarij, ſed ipſius Suetonij, qui ſcribit natum paulo ante exortum Solis: *Si Auguſtus*, inquit de Emendat. temporum lib. 5. *natus eſt ante exortum Solis Capricorno horoſcopante, ergo natus eſt Sole Capricornum obtinente; & proinde natus fuiſſet menſe Decembri Iuliano aut Ianuario, & conſequenter non Septembri antiquo, ſed Martio. quod eſt abſurdum. Auguſtus ergo natus eſt circiter 21. aut 22. Iulij poſt Solem occaſum, Sole ultimas partes Cancri obtinente. Proinde ultimis partibus Capricorni orientibus natus eſt ſole occaſo: niſi quis dicat uno aut altero gradu minus, quod nihil refert. Hoc tantum conſtet, Auguſti geneſin cade-*

cadere in Iulium mensem, siquidem natus est Septembri Romano: item nocturnam esse, siquidem Capricorno horoscopante: idque anno periodi Iulianæ 4651. cyclo Lunæ 15. Solis tertio. Quæ effata Scaligeri a severo eius censore Dionysio Petavio probari admodum miror. Ita ille lib. 10. de Doctrina temporum cap. 64. f. 274. *Ceterum natalis Augusti contigit 9. Kal Octobr. Cicerone & Antonio Coss. sed ob laxatum & depravatum mensium statum Septembris, Pompilianus in Iunio Iuliove circiter inibat anni Iuliani. Multa de hoc argumento, deque Suetonij hallucinatione disputantur a Scaligero hoc in capite, quæ nobis probantur.* Idem asserit rursus lib. 11. cap. 6. Horum auctoritatem secutus, ut videtur, Ioannes Tristanus Sanctamantius uno ictu hunc nodum discindit, & culpá, quam illi Suetonio impingunt, in librarium transfert, & contendit a Suetonio scriptum *paullo ante solis occasum, non vero ante solis exortum*; sed astronomica ratiocinia eius de μεσουρανήματι, quæ affert, alijs discutienda relinquam: ipsa Suetonij verba cap. 49. aperte huic correctioni repugnant; *Quo natus est die*, inquit, *cum de Catilinæ coniuratione ageretur in curia, & Octavius ob uxoris puerperium serius adfuisset, nota ac vulgata res est, P. Nigidium, comperta moræ caussa, ut horam quoque partus acceperit, affirmasse, Dominum terrarum orbi natum.* Quid enim? an Senator tardius mane in Senatum veniens caussabitur, natum paulo ante occasum solis filium? Quod etiam vidit Keplerus Astronomus exactissimus, qui aliam init viam, cuius verba audi de hac quæstione: *Si quis tamen iudicium hic meum requirit, id obiter addam. Fertur natus Augustus paulo ante solis ortum; Octavius enim pater Augusti tardius in Senatum veniens, qui summo mane coactus erat, ob periculum coniurationis Catilinariæ, moram puerperio uxoris excusavit.*

T. 1. Comment Historic. f. 68.

cusavit. Atque ei Nigidius ex tempore partus fortunam nati amplissimam prædixit. Præter hanc traditionem confirmata est etiam Augusti ipsius opinio, se sub Capricorni sidere natum. Atqui mense Iulio sole orituro, Capricornus occasum obtinet. Quomodo ergo qui sub Capricorno natus, idem ante solis ortum nasci potuit? conciliatorem audi Manilium. Veteres sub eo quemque sidere natum putabant, quod eo nascente Luna obtinebat. Inter ergo 23. Iunij & 18. Julij per dies 25. quære, an Luna potuerit obtinere Capricornum, & quibus diebus invenies 1. & 2. Julij. Non fuit igitur omißus in his annis 17. mensis intercalarius. At nec quantitas anni dierum plane 355. cum intercalario servata eße potest; desunt enim dies 6. 7. vel 8. seu Pontificum arbitrium ordinationi derogaverit, seu male retulerint de anni quantitate auctores ætate posteriores. Hactenus Keplerus. Sed mihi non verisimile videtur, annum Romanum Cicerone & Antonio Coss. adeo luxatum fuisse, ut dies IX. Kal. Octobreis incurrerit in mensem Iunium vel Iulium. Nam si cum Scaligero in A. D. K. IX. Kal. Octobris, qui natalis Augusti fuit, rejicimus in Iulij Iuliani diem 21. aut 22. sane dies V. Idus Novembris Romani incidet in principium Septembris. At Cicero, qui V. Idus Novembris Romani habuit Catilinariam secundam, diserte testatur, eo iam tempore Æquinoctium autumnale fuisse confectum in Apennino: *Verumtamen quid isti sibi miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præsertim iam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum atque illas pruinas ac nives perferent?*

Sed diem natalem Augusti secundum Kalendarium Iulianum, non vero ad rationem anni veteris in IX. Kal. Octobr. incidisse ipse Suetonius indicat, qui c. 100. scribit, illum

illum deceſſiſſe Sextis Pompeio & Apuleio Coſſ. 14. Kal. Septembris hora diei nona, ſeptuageſimo & ſexto ætatis anno, diebus 5. & 30. cui conſentit Dio, cuius verba ſunt l. 55. Καὶ ὁ μὲν οὕτω τῇ ἐννεακαιδεκάτῃ τοῦ Αὐγούστου, ἐν ᾗ ποτὲ τὸ πρῶτον ὑπάτευσε, μετήλλαξε. Ζήσας μὲν πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη, καὶ μῆνας δέκα, καὶ ἡμέρας ἓξ καὶ εἴκοσι. Τῇ γὰρ τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Σεπτεμβρίου ἐγεγέννητο. *Vita exceſſit* XIIII. *Kal. Septemb. qua die quondam primum conſulatum inierat. Vixit annos 75. menſes 10. dies 26. ſiquidem natus eſt* IX. *Kal. Octobris.* & quidem a die 23. Septembris Iuliani anni periodi Iulianæ 4651. quo natus eſt Auguſtus Cicerone & Antonio Coſſ. vſque ad 19. Auguſti ſeu XIIII. Kal. Septemb. Iuliani anni P. I. 4727. qua die deceſſit, iuſte conficiuntur anni 76. minus diebus 35. ſeu anni 75. menſes decem, dies 26. Sed demus viris eruditis hiſtoricos illos plebeio more & ἰδιωτικῶς ſic locutos fuiſſe, quaſi eadem perpetuo annorum fuerit forma, proinde ſeptuageſimum ſextum annum ſupergreſſum fuiſſe Auguſtum, quod quidem de Suetonio & Dione exactis annorũ computatoribus, & quibus emendatio Iuliana ſatis nota erat, vix credi poteſt; an vero ipſe Auguſtus, qui thema ſuum diligenter confici curavit, maximamque in illo fati fiduciam habuit, Kalendarium Iulianum Pontificum culpa depravatum correxit, tam incurioſus fuit, ut natalem ſuum, qui in Iunium aut Iulium menſem incidit, IX. Kal. Octobr. celebrarit, & annum ſuum climactericum, non vero die ſuo natali, ſed demum tribus poſt verum natalem ſuum menſibus confectum fuiſſe exiſtimarit. En verba eius ex epiſtola ad Caium filium & nepotem IX. Kal. Octobr. ſcripta anno Iuliano 46. *Ave mi Cai, meus ocellus iucundiſſimus, quem ſemper medius fidius deſidero, cum a me abes: ſed præcipue diebus talibus, qualis eſt hodiernus,* *Gellius l. 15. c. 7.*

 oculi

*oculi mei requirunt meum Caium; quem vbicumque hoc die fuiße ſpero lætum & * benivolentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum. nam, ut vides, κλιμακτῆρα communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum annum evaſimus.* Incredibilis iam fuerit Auguſti ignorantia, ſi climactericum annum ſuum deduxit ex veteri Kalendario in tanta Mathematicorum Ægyptiorum & Chaldæorum Romæ copia ſe communem ſeniorum omnium κλιμακτῆρα evaſiſſe lætetur IX. Kal. Octobris Iuliani, quem a præcedenti Iunio aut Iulio prætergreſſus erat, cum præſertim hæc epiſtola ab illo ſcripta ſit poſt emendatum a ſe annum Iulianum, qui iterum poſt Iulianam correctionem negligentia Pontificum labefactatus fuerat. Sed an & ipſum Theogenem, quem non vltimum ſæculi ſui mathematicum fuiſſe liquet, tam omnis Aſtronomiæ imperitum fuiſſe credemus, ut diem & horam natalem ab Octavio ſibi indicatum ex veteri Kalendario Romano, non potuerit ad annorum Ægyptiorum formam curſúmve ſolis numerare, ac ad Kalendarium Iulianum iam tum inſtitutum reducere? Etenim Octavius, poſt receptam a Cæſare Hiſpaniam, demum Apolloniam præmiſſus fuit, ubi Theogenem de themate ſuo conſuluit. Nam quod Scaliger allegat, *Agrippam & Auguſtum non potuiſſe tempus geniturarum ſuarum edere in tanta confuſione anni Romani, qui quoties intercalatum ſit a natalibus ſuis ad cædem Cæſaris omnino neſciebant, & ne ipſos quidem Pontifices potuiſſe aſſeverare in 20. annis quoties & quando intercalatum ſit.* Sed non videtur, cum omnes menſes intercalarios a Pontificibus publicari & in faſtis notari ſolitos fuiſſe conſtet. Certum igitur mea quidem ſententia natum Auguſtum M. Tullio Cicerone, & L. Antonio Coſſ. paulo ante exortum

** Alij benevalentē.*

Ad Manilium l. 2. f. 163,

tum ſolis A. D. IX. Kal. Octobris ad rationem Kalendarij Iuliani, atque ita horoſcopantes habuit ultimas partes Virginis, vel principium Libræ, quo Virgilium reſpexiſſe facile eruditis aſſentior viris. Is enim lib. I. Georg. redituro in cælum Auguſto eamdem ſedem & cæli regimen adſignat inter Virginem & Chelas, qua horoſcopante in lucem editus fuit:

Anne novum tardis ſidus te menſibus addas,
Quà locus Erigonem inter, Chelaſque ſequentes
Panditur: ipſe tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli iuſta plus parte relinquit.

Sed ille nunc etiam reſtat nodus, ſi Virgo aut Libra fuit horoſcopus Auguſti, qua ratione nota ſideris Capricorni, quo natus fuit, nummos percuſſerit, ut Suetonius ait c. 94. Sed & Germanicus Cæſar Capricornum Auguſti natali aſſignat.

Hic Auguſte tuum genitali corpore numen
Attonitas inter gentes, patriamque paventem
In cælum tulit, & maternis intulit aſtris,

Et Manilius:

——— contra Capricornus in ipſum
Convertit viſus, quid enim mirabitur ille
Maius, in Auguſti felix qui fulſerit ortum.

Et alibi: *Tum venit Auguſto Capricornus ſidere fulgens.*

Si quidem Kepleri rationes ſequi vellem, facile ex his vinclis me explicare poſſem; nam ſi, ut ille ait, veteres ſub eo quemque ſidere natum putabant, quod eo naſcente Luna obtinebat. Si 2. Iulij Luna Capricornum tenuit anno natali Auguſtæo, etiam 23. Septembris eiuſdem anni Luna in eadem ſede fuit; nam a 2. Iulij ad 22. Septembris tres periodicos curſus Luna conficit. Sed hæc

Aſtro-

Aſtrologica doctiſſimo Gothofredo Vendelino noſtro relinquo, qui iam diu nos longa editionis Capricorni ſui ſpe torquet, quo non dubijs rationibus probabit, ſortis Fortunæ locum in themate Genethliaco fuiſſe in Capricorno; ſors autem Fortunæ ab antiquis Aſtrologis cenſebatur eſſe horoſcopus, a quo thema Athlorum deducebatur, ut Scaliger docet ad Manilium. Ptolemæus lib 3. ad Tetrabybl. Ἵνα ὃν ἔχει λόγον καὶ σχηματισμὸν ὁ ἥλιος πρὸς τὸν ἀνω-τολικὸν ὁρίζοντα τοῦτον ἔχῃ καὶ ἡ σελήνη πρὸς τὸν κλῆρον τῆς τύχης, καὶ ἦ ὥσπερ σεληνιακὸς ὡροσκόπος. *Vt quam habet rationem & poſitum Sol ad horoſcopum, eamdem habeat Luna ad ſortem Fortunæ, ut hæc ſit veluti lunaris horoſcopus.* Sed ſcrinia compilare viderer Vendelini noſtri, qui Capricorni ſui editionem quotidie nobis pollicetur. ad alia progredior. Illud tamen addam, & ipſos nummos, quos nota ſideris Capricorni Auguſtus percuſſit, non levem coniecturam præbere, Capricornum ſedem fuiſſe ſortis Fortunæ in themate Auguſti; nam in numiſmatis Auguſtæis aureis, argenteis & æreis, quæ notam Capricorni præferunt, adiecta ſunt plerumque gubernaculum navis, cornucopiæ, & orbis terrarum, ipſa nempe inſignia Fortunæ quæ illi tribuit Lactantius lib. 3. Inſtit. Div. cap. 29. de Fortuna: *Nam ſimulacrum eius copiæ cornu & gubernaculo fingunt, tamquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Imo etiam forte in gemma Auguſtæa Capricornus orbiculo incluſus eſt, quia character vulgaris ſortis Fortunæ hoc charactere ⊗ deſignatur; aut, ut rotam Fortunæ denotaret, aut, quod Seldeno placet ad marmora Arundelliana; aut quia ſortes omnes ligneæ, eburneæ, ita ſcalperentur, ut Scaliger exiſtimat. Cum itaque Auguſtus natus ſit

V. Goltz. tab. 67. in Auguſto.

In ſecundum Iſagog. Manilij.

23. Sc-

23. Septembris Iuliani, paulo ante ſolis exortum, ut iam demonſtratum eſt, ſupereſt ut quæramus, in quem diem Kalendarij veteris Romani inciderit 23. dies Septembris Iuliani. Quod ſi eruimus, anni veteres octodecim a Conſulatu Ciceronis uſque ad emendationem Iulianam ad annos Iulianos facile reduci poterunt, & hiſtoria Catilinariæ coniurationis; exilij & reditus Ciceronis, belli civilis inter Pompeium & Cæſarem, aliarumque rerum illo tempore geſtarum valde illuſtrabitur. Et annum quidem Romanum veterem ętate Ciceronis 355. dierum fuiſſe inter omnes fere convenit. *Sed cum*, inquit Macrobius, *Romani ex diſtributione Pompilij ad Lunæ curſum, ſicut Græci, annum proprium computarent, neceſſario & intercalarem menſem inſtituerunt more Græcorum. Nam & Græci cum animadverterent temere ſe trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinaſſe annum (quoniam appareret de Solis curſu, qui trecentis ſexaginta quinque diebus & quadrante Zodiacum confecit) deeſſe anno ſuo undecim dies & quadrantem, intercalares ſtata ratione commenti ſunt, ita ut octauo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenûm dierum compoſuerunt. Id Græci fecerunt, quoniam erat operoſum atque difficile omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit. Sed fruſtra: Quippe fugit eos unum diem additum eſſe ad Græcum numerum, in honorem imparis numeri: ea re per octennium convenire numerus atque ordo non poterat: ſed nondum hoc errore comperto per octo annos nonaginta quaſi ſuperfundendos, Græcorum exemplo computabant dies, alterniſque annis binos & trecenos, alternis ternos & vicenos intercalares expenſabant intercalationibus quatuor. Sed octavo quoque anno intercalantes octo affluebant dies, ex ſingulis quibus vertentis*

 anni

anni numerus apud Romanos ſupra Græcum abundaſſe iam diximus. Hoc quoque errore iam cognito, hæc ſpecies emendationis inducta eſt. Tertio quoque octennio ita intercalandos diſpenſabant dies, ut non nonaginta, ſed ſexaginta ſex intercalarent, compenſatis viginti & quatuor diebus pro illis, qui per totidem annos ſupra Græcorum numerum creverant.

Petav. l. 2. cap. 74. de doctrina Temp.

Vir eruditiſſimus & optime de Chronologia, aliaque omni ſcientia meritus credit, anno vigeſimo quarto cycli Romani intercalationem 23. dierum, & diem unum omiſſum fuiſſe. Cui ſecundas facit Leo Allatius cap. 18. de Menſura temporum. Ego exiſtimo ſexaginta ſex dies tertio octennio tribus intercalationibus diſpenſatos fuiſſe, ita ut in 22. & 24. annis viginti duo dies intercalati ſint. Atque ita bina octennia 5860. dierum, & tertium dierum 2906. iuſte conficiant dies 8766. & cum viginti quatuor annis Iulianis pares rationes faciant. Et hæc quidem ſi recte obſervata fuiſſet a Romanis ratio annorum, non difficile eſſet annos Romanos veteres cum Iulianis comparare. Poſt perfectum enim 24. annorũ cyclum ad eamdem metam Solis, unde orſi erant, recurriſſent, ſed fuit tempus, ut Macrobius ait, cum propter ſuperſtitionem intercalatio omnis omiſſa eſt; deinde Pontificum *arbitrio intercalandi ratio permiſſa, ſed horum plerique ob odium vel gratiam quo quis Magiſtratu citius abiret, diutiusque fungeretur, aut publice redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove eſſet, plus minuſve ex libidine intercalando rem ſibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt*, adeoque faſtos turbaverunt; *ut neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno competerent.* Cum itaque intercalatio annorum Pontificum libidini permiſſa eſſet, perdunt operam viri eruditi, qui ex periodis, quas formant, cre-

Cenſorinus de die natali c. 20.

Sueton. in Cæſare.

credunt ſe annos Romanos veteres annis Iulianis conciliare, ut Sethus Calviſius, qui annum poſt Conſulatum Ciceronis, quo Coſſ. fuerunt Silanus & Murena, incepiſſe ait circa 30. Octobris anni periodi Iulianæ 4651. littera D. qua ratione dies 23. Septembris Iuliani incideret circa IX. Kal. Novembris veteris; nam a 22. die Novembris Romani ad Kal. Ianuarias ſunt dies 37. quot dierum etiam intervallum eſt inter 23. Septembris Iuliani, & 30. Octobris. Samuel Petitus, vir ſingularis eruditionis, ſed ingenio ſuo nimium forſan indulgens, novam periodum Romanam 20. annorum excogitavit, qua ſe annos Romanos ad Iulianos reducere poſſe credidit, & ea annorum veterum principia pronuntiat ab anno Conſulatus L. Domitij, & Appij Claudij, qui fuit annus urbis Varronianus 700. ſecundum alterum calculum, quem Petitus ſequitur *699.* hunc incepiſſe aſſerit die 22. Decembris Iuliani, a quo, ſi aſcendimus per periodum eius ad annum qui conſulatum Ciceronis proxime inſequitur, inveniemus illum incepiſſe 24. Septembris Iuliani, atque ita 23. Septembris Iuliani incidere in 27. Septembris veteris. Nam idem intervallum dierum eſt inter 23. Septembris Iuliani ad 24. Decembris, quod a 27. Septembris Romani ad Kalendas Ianuarias dierum ſcilicet nonagintanovem.

Sed ipſe Petitus cum videret rationem periodi ſuæ hac in re non procedere; nec enim diem IX. Kal. Octobris anni Iuliani, qua natus fuit Auguſtus, ex methodo ſua ad annum veterem reductum convenire tempori Catilinariæ coniurationis, cum tamen Suetonius dicat, eo quo natus Auguſtus eſt die, cum de Catilinæ coniuratione ageretur, Octavium ob uxoris puerperium tardius ad-

fuiſſe, aliam init rationem,& III. Nonas Decembris Romani,Sole in primis Capricorni partibus verſante, natum Auguſtum aſſerit. Sed quibus hoc argumentis probet, videre operæ pretium eſt. *Cadit*, inquit, *hic dies* III. *Nonas Decembris Romani in diem* IX.*Kal. Octobris anni Iuliani,qui dies natalis Auguſti fuiße perhibetur, ſi intervalli ratio habeatur, quod eſt a Kalendis Ianuarijs anni ultimi Romani,qui confuſionis dicitur, ad diem* III.*Non. Decembr. eiuſdem anni & intervalli illius, quod eſt ab eo die, quo cepit annus hic confuſionis in anno Iuliano, quem fingimus ſemper fuiſſe ad diem Kal.Octobreis. Vtrumque enim intervallum eſt dierum trecentorum viginti trium. Nam cœpit annus confuſionis, ut alibi probavimus,Nonis Novembribus in anno Iuliano,cuius formã ſemper fuiſſe fingimus. Superſunt igitur dies quinquagintaſeptem anno abſolvendo: adde dies ducentos ſexaginta ſex, qui numerantur in anno Iuliano a Kalend.Iulianis ad* IX.*Kal.Octobris,utroque termino incluſo;fiunt itaque dies trecenti viginti tres,totidem dierum eſt intervallum a Kalendis Ianuarijs anni confuſionis ad diem* III.*Non. Decembris eiuſdem anni.* Hæc me capere non fateor. Nam cum annus primus Iulianus inceperit a Kalendis Ianuarijs anni P. I. 4669. dies III.Non.Decemb.anni veteris congruit 5.Decemb. P.Iul. 4668. non autem 23.Septembr. Addit deinde: *Non ignoro, ſexaginta ſeptem dies in hoc anno intercalatos fuiſſe ante hunc tertium Nonas Decembr. atque hos 67. dies in tres intercalarios menſes diſtributos fuiſſe, quorum primus fuit ex conſuetudine ſuo loco intercalatus; ceteri duo in Novembrem & Decembrem interpoſiti ſunt. Sed intercalarij iſti menſes non numerantur; pro momento enim temporis obſervantur. Cato putat menſem intercalarem addititium eße, omneſque eius dies pro momento temporis obſervat,extremoque diei men-*

ſis

ſis Februarij attribuit. Quintus Mutius: Menſis autem intercalaris conſtat ex diebus viginti octo. l. cum biſſext. §. 1. & 2. D. de verbor. ſignif. Ergo in hoc anno confuſionis Februario imputandi ſunt tantum dies viginti duo; intercalaris namque eſt qui ex diebus viginti octo conſtat. Quare a Kalendis Januariis anni confuſionis ad diem tertium Nonas Decembr. numerantur tantum dies trecenti viginti tres, quos dierum fuiſſe diximus intervallum a Nonis Novembribus ad nonum Kal. Octobris Juliani: atque ita factum conijcio, ut dies natalis Augusti dicatur dies nonus Kalendas Octobris, cum tamen natus ſit III. *Non. Decemb. Romani, ſole in primis Capricorni partibus verſante, M. Tullio Cicerone, C. Antonio Coſſ.* Quæ quidem pluribus refellere haud opus; nam etiam nemine impellente per ſe corruunt. Videamus igitur an certius quid, aut veroſimilius de die, in quem natalis Augusti incidit in Kalendario veteri, conſtituere queamus; quod fieri non poteſt, niſi a Kalendis primi anni Iuliani uſque ad annum Conſulatus Ciceronis ſurſum enitamur, & ex auctoribus illius ævi, quinā anni intercalati fuerunt, & quot dierum intercalationibus, colligamus, aut certe divinemus. Etenim certi aliquid hac in re demonſtrare non opis eſt noſtræ, ſed coniecturis ſæpe indulgendum eſt in tam exigua luce, cum tantum ſcintillas aliquas ex ſcriptoribus temporum illorum elicere poſſimus. Annus ultimus confuſionis, qui fuit V.C. Varron. 708. fuit dierum 444 ut diſerte tradit Cenſorinus: *Adeoque aberratum eſt, ut Caius Cæſar Pontifex Maximus ſuo* III. *& M. Æmilij Lepidi Conſulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menſes intercalarios dierum ſexaginta ſeptem, in menſem Novembrem & Decembrem interponeret, cum iam menſe Februario dies tres & viginti intercalaſſet, faceretque eum annum die-*
 rum

rum CD. XLIV. Itaque Kalendæ Ianuarij anni illius in 13. diem Octobris Iuliani anni P. Iul. 4667. incidere, ut pluribus demonstrat eruditissimus Petavius lib. 4. c. 1. de Doctrina temporum. Cuius sententiam egregie firmat locus Auctoris de Bello Africo varie a viris doctis exceptus: *Per id tempus fere Cæsaris exercitui res accidit incredibilis auditu. Namque Virgiliarum signo confecto, circiter vigilia secunda noctis, nimbus cum saxea grandine subito est exortus ingens.* Id post VI. Kal. Februar. accidisse idem scribit. Nam VI. Kal. Februarias, equestri prælio Cæsar Scipionem & Lælium in castra coegit, ut narrat cap. 27. postero die ex omnibus præsidijs cohortes deduxit, atque omnes suas copias in campo instruxit. Cum iam prope Solis occasum exspectavisset, reductis copiis in castra, postero die propius eorum aciem instituit porrigere munitiones; tertio quartove inde die nimbus hic saxeus exortus est, ut ex his verbis patet: *Ad hoc autem incommodum accesserat, quod Cæsar non more superiorum Imperatorum in hibernis exercitum continebat, sed in tertio quartoque die procedendo, propiusque hostem accedendo, castra communiebat.* Vbi legendum existimo, *sed iam tertio quartoque die*; ergo quarto die post D. IV. Kal. Februarij hoc contigit, id est, secundo Februarij Romani id contigit. Convenit autem dies ille duodecimo Novembris Iuliani, cum annus inceperit 13. Octobris. Virgiliarum autem occasum matutinum Plinius statuit ex Iulij & Sosigenis mente in III. Id. Nov. id est, 11. die Novembris. Sed de Virgiliarum occasu postea amplius agendum erit.

A. D. VI. Idus Aprilis veteris, qui congruit 8. Februarij, Romani, Cæsar Iubam devicit ad Thapsum, ut Ouidius lib. 4. Fastorum testatur, & ex auctore de Bello Africo col-

colligitur Idibus Iunij, id eſt, 14. Aprilis Iuliani Cæſar Vticæ claſſem conſcendit III. Kal. Quinct. a Caralibus ſecundum terram provectus duodetriceſimo die, eo quod tempeſtatibus in portubus cohibebatur, ad Romam urbem venit. Redijt itaque Româ ab Africana expeditione Cæſar VII. Kal. Sextiles, qui dies cadit in 26. Iunij Iuliani.

Sed de anno confuſionis, ut vulgo vocatur, hæc ſufficiunt, nunc ad annos proximos aſcendamus, & quot dierum fuerint quæramus.

Anno V. C. Varroniano 707. quo Cæſar Dictator Magiſtro equitum M. Antonio ſine Coſſ. in faſtis perſcribitur intercalatum non fuiſſe, ne quidem anno præcedente 706. V. C. Cæſare & Servilio Coſſ. probat inſignis Ciceronis locus epiſtola penultima libri 10. ad Atticum: *Nunc quidem æquinoctium nos moratur, id ſcilicet cras erit. Vtinam idem maneat Hortenſius, ſiquidem adhuc erat, liberalius eſſe nihil poteſt.* Scripſit hanc epiſtolam Cicero 17. Kal. Iunias anno V. C. Varroniano 705. a quo die ad Kalendas Ianuarias anni inſequentis numerantur dies 222. qui collecti cum duobus annis Romanis communibus 355. dierum, conficiunt dies 932. qui numerus dierum retro numeratus ab 13. die Octobris anni periodi Iulianæ 4667. deſinet 25. die Martij anni periodi Iul. 4665. atque ita dies XVII. Kal. Iunias, qua Cicero epiſtolam illam ſcripſit, convenit 24. Martij Iuliani, pridie eius diei, quo æquinoctium vernum eo tempore committi credebant.

Immerito igitur viri eruditi hunc locum Ciceronis corruptum emendare conantur: & Simeo quidem Boſius ex decurtato libro in quo *acras* erat, corrigit, *id ſi ἀκραὲς erit*. Ioſephus Scaliger ſcribendum ait, *Nunc quidem æquinoctium* *Lib. 2. de Emend. cap. ult.*

noctium

noctium nos moratur, quod valde perturbatum erat. Id ſi cras erit, utinam idem maneat. Hortenſio (ſiquidem adhuc erat) liberalius eſſe nihil poteſt. Idibus enim Maijs Romanis æquinoctium fuiſſe credit, atque ita duobus ſolummodo diebus a nobis diſſidet. Samuel Petitus lib. 9. Miſcell. reſcribit: *Nunc quidem αἰγλς, νότιον nos moratur, quod valde perturbatum erat. Id ſi ἀργὰς erit, utinam idem maneat Hortenſius.* Sed hoc portentum emendationis iam refutatum eſt ab eruditiſſimo Petavio in Auctario operis de Doctrina temporum lib. 5. cap. 13. Ego, ſi quid corrigendum eſt, in Ciceronis hoc loco legerem, *Nunc quidem æquinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat; id ſcilicet cras erit. Vtinam idem maneat Hortenſius: ſic ut quidem adhuc erat; liberalius eſſe nihil poteſt.* Nam mirificam Hortenſij ἐκτένειαν erga ſe laudat principio epiſtolæ. Sed tamen dubitat, an idem maneat, nec immerito; nam ſequente epiſtola ſcribit Attico: *Nam illa Hortenſina omnia fuere infantia. ita fiet homo nequiſſimus.*

Cum itaque annis 706. & 707. Varroniano intercalatum non fuiſſe demonſtratum ſit, ſi unicuique anno dies 355. imponas, conſtat annum quidem Romanorum 707. P. Iul. 4666. 23. Octobris, præcedentem 2. Novembris A. P. Iul. 4665. iniſſe. Sed & anno 705. qui primus belli civilis fuit, intercalatum non fuiſſe ex ſerie hiſtoriæ, & epiſtolis Ciceronis ad Atticum, apparet. Prid. Non. Februarias Cicero venit Capuã ex iuſſu Conſulum, *Ep. 23. l. 7.* qui eum Nonis ibi adeſſe iuſſerant. Nonis Lentulus eo venit ſero, alter Cos. omnino non venerat. VII. Id. Febr. quo die Cicero Capua deceſſit, & manſit Calibus. Ita Cicero Epiſt. 21. lib. 7. ad Atticum, quam poſtridie 6. Idus *Ep. 24.* ſcripſit 5. Idus Febr. veſperi a Philotimo litteras accepit, Domi-

Domitium exercitum firmum habere, cohortes ex Piceno, Lentulo & Thermo ducentibus, cum Domitij exercitu esse coniunctas: *Quæ litteræ me quidem, inquit, non nimis, sed eos qui in his locis erant, admodum delectarunt. Ecce postridie Cassio litteræ Capua a Lucretio familiari eius, Nigidium a Domitio Capuam venisse, eum dicere, Vibullium cum paucis militibus currere ad Pompeium, Cæsarem confestim sequi.* Sed Domitius Vibullium retinuit contra Pompeij voluntatem; & quamvis Domitius constituisset v.Id. Febr. Corfinio proficisci, & cum Pompeio Luceriæ se conjungere, tamen Corfinij mansit, quod audierat Cæsarem Firmo progressum in castra Truentium venisse. Apparet ita ex epistola prima Pompeij ad Ciceronem, quæ extat lib. 8. post epistolam vndecimam ad Atticum, & prima Pompeij ad Domitium, quæ legitur eodem libro post 12. ad Atticum, qua Pompeius Domitium denuo ad se Luceriam advocat, ne distrahantur copiæ: ut etiam epistola sequenti, qua rescribit litteris Domitij a M. Calenio allatis. A.D. XIV. Kal. Mart. octavo ante Feralia die, id est XVI. Kal. Martias Cæsar cum Corfinium venisset, cohortes v. præmissæ a Domitio ex oppido pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter III. Ibi cum antecursoribus Cæsaris prælio commisso, celeriter Domitiani a ponte repulsi se in oppidum receperunt. Cæsar legionibus transductis ad oppidum constitit, iuxtaque murum castra posuit. Re cognita, Domitius ad Pompeium in Apuliam peritos regionum magno proposito præmio cum litteris mittit, qui petãt atque orent, ut sibi subveniat, Cæsarem duobus exercitibus & locorum angustijs facile intercludi posse. Hæc Cæsar lib. 1. de Bello Civ. cap. 17. Has Domitij litteras Pompeius

 rece-

recepit A.D. XIII.Kal.Mart.ut ex reſponſo Pompeij conſtat, quo negat, ſe eorum, quos ſecum habebat, voluntati ſatis confidere, ut de omnibus fortunis Reip. dimicet: quod ubi Corfinium allatum eſt ſexto, ut ex Cæſaris Commentarijs conijcere licet, obſidionis die, milites tumultuantur, oppidumque & Domitium Cæſari dedunt. Cæſar Corfinio recepto, eodem die caſtra movet, iuſtumque iter conficit, ſeptem omnino dies ad Corfinium commoratus, & per fines Marrucinorum Frentanorum, Larinatium in Apuliam pervenit.

Lib.1.de Bello civili cap.20.

Lib.5.Epiſtol.11.ad Attic.

Iam ante Pompeius Brundiſium verſus Luceria moverat, Canuſiumque pervenerat; ex quo oppido A. D. x.Kal. Martias ſcribit Ciceroni, ut celeriter Brundiſium veniat. Canuſio profectus eſt Feralibus, eodem die mane quo Cæſar a Corfinio poſt meridiem. ita Cicero epiſt.14. ad Atticum. Feralia notantur in Kalendarijs antiquis ad diem IX. Kalend. Martias; emendandus itaque locus Ciceronis Ep.1. lib.9.ad Att.*Etſi, cum has litteras legeres, putabam fore, ut ſcirem jam quid Brundiſij actum eſſet. Nam Canuſio* VIII.*Kal.profectus erat Cnæus.* Vbi legendũ IX.Kal. ut liquet etiam ex ijs quæ Cicero addit: hoc autem ſcribebam pridie Nonas 14. die poſtquam ille Canuſio moverat. A.IX.Kal.Martijs quartus decimus dies eſt prid.Non. Martias. Plura alia hic addere poſſem, ſed hæc, ut reor, ſufficiunt ad probandum, nullam menſe Februario huius anni intercalationem interveniſſe. Incepit itaque annus primus belli civilis, quo Lentulus & L.Marcellus Conſulatum obtinuere, 13.die Novembris anni P.I.4664. anno autem proxime præcedenti coss. L. Æmilio Paullo & C.Claudio Marcello intercalatum non fuiſſe, diſerte Cœlius teſtatur Epiſt. 6. ad Ciceronem lib. 8. Famil. *Quod tibi*

tibi supra scripsi, Curionem valde frigere, iam calet; nam ferventissime concerpitur. Levissime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit, legemque viariam, non dissimilem agrariæ Rulli, & alimentariam, qua iubet ædiles metiri, jactavit. Hoc nondum fecerat cum priorem partem epistolæ scripsi; nam Curio tribunatum hoc anno gessit. Dio etiam lib. 11. ita de Curione: *Ab eo tempore, cum multum temporis aliis atque aliis obtentis causis, nequid horum omnium decerneretur, consumpsisset, indigne se id ferre simulans, petiit ut alius mensis ad eas leges tandem perferendas intercalaretur. Ea intercalatio usurpabatur quotiescumque id res exigebat, tum vero non competebat; quod Curionem ipsum, quippe Pontificem, minime fugiebat. Verumtamen opus esse intercalatione contendebat, collegasque Pontifices clamoribus exagitans, quum ut assentirentur sibi persuadere non posset (ac ne volebat quidem) ne aliam quidem ullam rem quoque decerni passus est.*

Cum itaque intercalatum non fuerit, 355. dies retro numerati a Kalendis Ianuarijs anni sequentis, id est, 13. Novembris P. Iul. 4664. incident in 23. Novemb. anni P. Iul. 4663. quo die annus hic incepit. Et annus præcedens Ser. Sulpitio & M. Marcello Coss. 3. Decembris P. Iul. 4662. Nam ille etiam annus communis fuit, ut ex Cicerone colligitur lib. 5. epist. 13. quam hoc anno dedit ad Atticum. *Ephesum venimus A.D. XI. Kal. sext. sexagesimo & quinquagesimo post pugnam Bovillam.* Id est post cædem Clodij, qui a Milone interfectus, ut Asconius testatur XIII. Kal. Februarias anni superioris, quo Pompeius solus Consul creatus collegam sibi assumpsit Q. Cæcilium Metellum Scipionem socerum suum. Ab illo autem die ad IX. Kal. Sextiles conficiuntur 560. dies, si modo ad 537.

 qui

qui intereſſent, ſi ſimplex fuiſſet annus cædis Clodij, menſis intercalarius 23. dierum adijciatur; nam intercalatum tunc Aſconius liquido teſtatur: *Hæc agebantur menſe intercalari poſt diem triceſimum fere quam erat Clodius occiſus.* Et iterum: *Pompeius ab interrege Ser. Sulpitio* v.*Kal. Mart. menſe intercalario Conſul creatus eſt.* Sed an. 23. dierum, an vero 22. fuerit, non admodum liquet. Etenim quamvis ex loco Ciceronis ſupra adducto dies 23. intercalati; tamen in oratione pro Milone, quam VI. Idus Aprilis Cicero habuit, centeſimam lucem eam numerat ab interitu P. Clodij: *Centeſima lux eſt hæc ab interitu P. Clodij.* Nam dies A.D. VI. Id. April. centeſimus iuſte dies eſt a XIII. Kal. Ianuarias, ſi 22. tantummodo dies intercalarij interponantur. Verum, ut Aſconius notat, ad orationem in Piſonem amat Cicero rotundum numerum ponere, quod illum in oratione potius quam in epiſtola feciſſe arbitror. Nec tamen vehementer pugnem, ſi quis 22. tantum dies intercalatos fuiſſe contendat. Interim intercalationem 23. dierum admittam, & anno 702. V. C. Varron. quo Clodius occiſus, 378. dies adſignabo; atque adeo Kalendas Ianuarias componam 18. Novembris anni periodi Iulianæ 4661. Annum qui præceſſit V.C. DCCI. Varron. quo Cn. Domitius & Marcus Meſſalla ſeptimo demum menſe Conſulatum accepere, communem fuiſſe 355. tantum dierum exiſtimo; nam duobus annis continuis umquam intercalatum fuiſſe nondum obſervavi.

* * * * *

Reliqua deſiderantur.

ALBER-

ALBERTI RVBENI EPISTOLÆ TRES AD CLARISSIMVM VIRVM GOTHIFREDVM VVENDELINVM.

VIr clariſſime, Compellit me Gevartius noſter auctoritate ſua, ut diſſertationes meas de Gemmis Auguſtæa & Tiberiana prælo committam. In altera earum, ut ſcis, Capricornus cernitur in orbiculo, genitale Auguſti ſidus, qua occaſione pauca de illo inſerenda videntur, præcipue contra Triſtanum, qui nodum, in quo ſolvendo Scaliger & alij fruſtra laborarunt, uno ictu diſcindit, nativitatem Auguſti poſt occaſum Solis ſtatuens, atque ita in Suetonio reſcribi iubens. Quam inſanam eius criticen refellit luculente Suetonius ipſe c.94. *Quo natus eſt die, cum de Catilinæ coniuratione ageretur in Curia, & Octavius ob uxoris puerperium ſerius affuiſſet*, &c. Memini a te audiviſſe, ſortem Fortunæ, ſive lunarem horoſcopum, in Capricorno fuiſſe cum Auguſtus natus eſt. Si pateris huius ſententiæ tuæ, quam non dubito veram eſſe, mentionem a me fieri, oro me latius de tota re certiorem facias, ne ignorantia a mente tua aberrem. His diebus neſcio quis ventus me detulit ad Chronologiam

Historiæ Romanæ, & animadverti in omnibus fastis unum Consulum par desiderari, quod necessario inserendum ante annum V. C. Varron. 328. inter Consulatum C. Servilij Ahalæ, L. Papirij Mugillani, & tribunatum militum T. Quintij Penni, C. Furij, M. Postumij & A. Corn. Cossi. Nam Livius lib. 4. cap. 20. scribit: *Tertius ab Consulatu Coßi annus Tribunum eum militum consulari potestate habet*. Atqui in fastis vulgatis unus tantum annus interijcitur inter Consulatum & Tribunatum Cossi. Deinde cap. 30. Livius ait: *Tribuni militum consulari potestate quatuor creati sunt, T. Quintius Pennus ex Consulatu, C. Furius, M. Postumius, A. Cornelius Coßus*. Si T. Quintius ex Consulatu Tribunus militum creatus est cum Cosso, ergo Consul erat anno qui tribunatum eorum præcessit: & recte in Sigonij libro notatum est, Quintium ter Consulem fuisse antequam hoc anno tribunus militum designatus est. Adhæc eodem cap. in Livio, omnes priscæ editiones & MSS. (certe Buslidianus, quem consului) præferunt: *Pervicere Tribuni, denuntiando se impedituros delectum ut Quintius Consul de bello ad populum ferret*. pro quo Sigonius substituit, *ut Consules de bello*. Ceterum videntur in Livij exemplaribus voculæ aliquot deesse; forte ita supplendæ, *ut Quintius Consul (iam enim Consulatum* III. *inierat cum · · · · Quintius) de bello ad populum ferret*. Vt sane absque hoc Consulatu non facile Livianam Chronologiam expedias. Verum hoc addito egregie constat, ratiocinium tabularum censoriarum, quas Halicarnassensis citat, quæ Consulatum Manlij & Potiti secundo ante cladem Alliensem anno, centesimum decimum nonum annum post exactos reges constituunt. Sunt & alia de quibus tecum garrire vellem, ut de anno captæ Vrbis, quem

Ad annũ 310. sed hic annus tertius numeratus inclusive, & est bienniũ tantum.

Illud, ex consulatu, *additum pro nota ignominiæ, quod qui Cõsul fuerat, nunc crearetur Tribunus militum, essetque imminuta eius dignitas, & referebat permagni hoc addi.*

Existimo ego, Quintiũ vocatũ Consulem *toto sui Tribunatus tẽpore, eiusque Collegas Tribunos tantum appellatos.*

quem Petavius Olymp.97. anno tertio affingit, cum videatur potius hæc clades incidiſſe in ultimum menſem anni primi Olymp.98. Archonte Athenis Pyrrhione, quo ſane anno id accidiſſe Dionyſius Halic. pro confeſſo ponit. Immo etiam Polybius tradit, *Atticum* annum poſt cladem Allienſem, cum adhuc Galli Vrbem obtinebant, qui Februario demum menſe expulſi fuere a Camillo, decimum nonum fuiſſe poſt pugnam ad Ægoſpotamon, decimum ſextum ante pugnam Leuctricam. Atque eo ipſo anno pacem Antalcidæ factam, quam omnes Scriptores conferunt in annum quo Theodotus Archon fuit, qui Pyrrhionem ſubſequitur. At ſecundum calculum Petavij, annus ille, quo Galli Roma exacti ſunt a Camillo, eſt decimus ſextus poſt pugnam ad Ægoſpotamon; decimus nonus vero ante pugnam Leuctricam: & duobus annis pacem Antalcidæ præcedit. Illud etiam me male habet, quod Olympias 143. ab omnibus fere Chronologis ſtatuatur in Conſulatu Marcelli & Criſpini, cum tamen Livius diſerte ſcribat, æſtate anni ſequentis, Nerone & Salinatore COSS. Olympicos ludos celebratos. Sed non me hinc expedio, tu quæſo me extrica, eſt enim dignus te vindice nodus. Vale vir clariſſime, & ama

devotiſſimum tibi
Alb. Rubens.

Bruxellæ Eidib. Iunijs
Anni Chriſtiani M.DC.LI.

ALIA

ALIA EPISTOLA
AD EVMDEM.

VIr clarissime, Si φιλαίτιος essem, merito de te quæri possem, qui me iam plusquam annum litterarum tuarum & Capricorni exspectatione torques. Adeone me penitus animo tuo excidisse, aut tam vilem tibi esse amicitiam nostram, ut ne γρῦ quidem a te post tot menses? Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Tu modo usuram solve, & Capricornum tuum quam primum mitte. Etenim gemmarum Cæsarearum explicatio, cuius causa illum desidero, est iam dudum confecta. Nec est quod totum Opus mittas, si nondum est paratum. Hoc solum scire velim, si Augustus natus fuit anno ad formam Iulianam redacto, IX. aut VIII. Kalendas Octobres ante exortũ Solis. Quis fuerit horoscopus, quæ sors Fortunæ. Et horoscopum quidem in extremo Virginis aut principio Librę fuisse fere video; de sorte Fortunæ, quam in Capricorno ponis, nondum assequor, cum secundum calculum meum sors Fortunæ postremis gradibus Sagittarij conveniat. Nec hic quemquam habeo, qui hanc rem extricare possit. Vidi hac æstate apud Gevartium nostrum, opinionem tuam de natali Augusti inchoatam. Vbi IX. aut VIII. Kal. Octobris Iuliani, natali Augusti assignas. Quod valde placet; sed quod addis IX. aut VIII. Kalend. Octobris Iuliani, anno Ciceroniano in Nonas Decembres prisci anni incidisse, nondum persuades; nam principio anni sequentis Catilina cæsus fuit

a Pe-

a Petreio. Id hyeme contigiſſe Cicero ſcribit diſerte pro Sextio. Verum ſi Nonæ Decemb. veteres cadunt in Septembrem Iulianum, Catilinæ clades non hyeme, ſed autumno contigit. Ego exiſtimo, & tibi me, ſi coram eſſes, perſuadere poſſe confido, anno Ciceroniano VIII. Kal. Octob. Iuliani occupaſſe XII. Kal. Novemb. antiqui. Quo die actum de coniuratione Catilinæ, & S.C. factum, ut Conſules viderent ne quid R.P. detrimenti caperet, decimo octavo die ante habitam a Cicerone primam Catilinariam. Incepit itaque annus Varron. poſt Vrbem conditam 692. Muræna & Silano COSS. 4. Decembris Iuliani anno Per. Iul. 4652. a quarta autem die Decembris illius vſque ad Kal. Ianuarias primi anni Iuliani qui fuit Per. Iul. 4669. conſurgunt dies 6237. & totidem dies conficiunt anni ſeptemdecim veteres, ordine illo quem in adiuncta ſcheda, videbis. Vndecim nempe anni dierum 355. tres dierum 377. duo dierum 378. & annus confuſionis dierum 445. Vale vir clariſſime, ſummum ſæculi noſtri decus, & ſi me amas, nominis & doctrinæ tuæ cultorem devotiſſimum, cito Capricornum tuum, aut ſaltem litteras mitte, quibus me cura liberes.

Bruxellæ 11. *Martij*, 1652.

A. Rubens.

Annus V.C. Varron. 692. incepit 4. Decemb. Iuliani. Per. Iul. 4652. hoc anno Cæſarem, qui Pontifex maximus erat, intercalationem obtinuiſſe a collegio Pontificum, ut diutius frueretur, conijcio. intercalatio autem fuit dierum 22. itaque *A. 692. fuit dierum 377.*

A. V. C. 693. incepit 16. Decembris Iuliani anni P. Iuliani *A. dierum 355.*

liani 4653. nec fuit intercalatus annus. at cum annus Iu-
A.dierum lianus sit bissextilis, incidunt Kal. Ianuarij anni V.C. 694.
355. in 5. Decembris Iuliani, nec hoc quidem anno intercalatum videtur. Itaque

A. dierum Annus V.C. 695. incepit 25. Novembris; at tunc Cæ-
378. sarem, qui Pontifex maximus erat, hunc annum consulatus sui intercalasse, valde verosimile est. intercalatio fuit dierum 23.

A.dierum A.V.C.696. incepit 8. Decembris. non fuit intercala-
355. tum; itaque incepit annus V.C.697.28. Novembris. Len-
A.dierum tulus cos. huius anni Pontifex erat, & forte etiam colle-
377. ga eius Qu. Metellus. Itaque intercalatos fuisse existimo dies 22.

A. dierum Incepit igitur annus sequens V.C. 697. nona Novem-
355. bris Iuliani, quo anno non fuit intercalatum.

A. dierum Annus V.C. 698. incepit 29. Novemb. Iuliani; & tunc
378. fuisse intercalatum persuadet potentia & auctoritas coss. Pompeij & Crassi. Intercalati dies 23.

A. dierum Annus V. C. 700. incepit 12. Decembris Iuliani, nec
355. intercalatus fuit.

A. dierum A.V.C.701. incepit 2. Decembris, non intercalatus.
355.

A. dierum Annus V.C. 702. incepit 21. Novembris Iuliani, inter-
377. calatum fuisse ex Asconio liquet. Sed intercalationem fuisse dierum 22. ex Cicerone ipso in Miloniana constat, quam orationem habuit VI. Id. April. & ait in peroratione: *Centesimá lux est hæc ab interitu Clodij.*

A. dierum Anno V. C. 703. incepit 3. Decembris, nec intercala-
355. tum fuisse apparet ex Cicerone Epist. 13. lib. 5. ad Atticum, ubi XI. Kal. sextil. numerat diem sexagesimum & quingentesimum post pugnam Bovillam, id est post cædem Clodij.

A.V.C

A. V. C. 704. incepit 23. Novembris. hoc anno intercalatum non fuiſſe docet Cælius Epiſt. 9.l.8. famil. *Curio, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum.* *A. dierum 355. Adde Dionem.*

A. V. C. 705. incepit 13. Novemb. XVII. Kal. Iunias ſcribit Cicero ad Atticum, *Nunc quidem æquinoctium nos moratur.* at XVII. Kal. Iunias ſecundum calculum noſtrum incidit in 24. Martij Iuliani: ex quo loco liquet, nec ſequentibus duobus annis, nec hoc ipſo fuiſſe intercalatum. *A. dierum 355.*

A. V. C. 706. incepit 2. Novembris. *A. dierum 355.*

A. V. C. 707. incepit 23. Octobris. *A. dierum 355.*

A. V. C. 708. confuſionis vulgo dictus, incepit 13. Octobris, & fuit dierum 445. Atque ita Kal. Ian. anni primi Iuliani incidunt in Kal. Ian. anni P. Iulianæ 4669. *A. dierum 445.*

ALIA EPISTOLA
AD EVMDEM.

Biennium iam & amplius editionem Gemmarum differo, dum quotidie tuum de Capricorno Auguſti ſidere ſententiam expecto; de illo etenim aliquid in iſta diſſertatione dicendum, quia Capricornus in gemma Auguſtæa prope Auguſtum in circulo deſcriptus eſt, quod opinionem tuam de ſorte Fortunæ valide firmat, quam circuli forma exprimunt Aſtrologi: quia, ut Scaliger & Salmaſius cenſent, ſortes omnes ligneæ & eburneæ ita ſcalperentur. Immo etiam gubernaculum navis cum orbe & cornucopiæ, quæ attribuuntur Capricorno in nummis Auguſti, ſignificare videntur, in themate Auguſtæo locum ſortis Fortunæ in Capricorno fuiſſe; gubernaculum enim orbis

& cornucopiæ insignia Fortunæ sunt, ut Lactantius & nummi passim docent. Et ex calculo quidem meo colligo, anno Periodi Iul. 4651. die 23. Septembris, hora 6. post mediam noctem, Lunam circa ingressum Aquarij, atque ita partem Fortunæ, paulo ante Solis exortum, in ultimo gradu Capricorni fuisse. Sed mathematicis scientijs tam leviter tinctus sum, ut ratiocinijs meis fidere non audeam. Quamobrem te iterum atque iterum rogo & obtestor, ut medios & veros motus ☉ & ☽ & locum ⊗ nascente Augusto indicare velis, atque insuper perscribere, num Cicerone Consule plenilunia aliqua Ecclyptica fuerint, præter illud quod Sethus Calvisius indicavit. Verum si tibi vel otium vel animus deest, ut precibus meis hanc operam præstes, hoc ipsum, quæso, rescribe, ne diuturniori expectatione pendeam. Vale vir maxime, & me, ut solebas, ama. Bruxellis VI. Kal. Maias Anni Dionysiani CIϽ.IϽC.LIV.

GOTIFREDI VVENDELINI AD SVPERIORES ALBERTI RVBENI EPISTOLAS RESPONSIO.

AMplissime vir, Eruditorum clarissime Rubeni, Ternas iam abs te litteras totidem istis annis accepi, primas quidem Eidibus Iunijs 1651. alteras V. Idus Martij 1652. tertias denique V. Kal. Maias huiusce anni 1654. Primarum argumentum fuit Augusti nascentis horoscopus, magnis opinionum divortijs volutatus ac distractus: cui subiungebas Chronologicam quoque quæstionem non unam de Fastis Romanis constituendis, operæ pretio (si verum æstimamus) necessario; & in quod alteræ tuæ magno serio incumbunt. Tertiæ nimio quam suaves, rescriptionem ad quæsita meam eblandiuntur. Dicam ergo quod res habet. Numquam existimavi pudori meo convenire, ut quæ scriberem ad amicos, digna censerem legi extra chorum amicorum: sed quoniam audio nunc in Gallia publicatam meam ad Petavium Epistolam subitaria scriptione exaratam; teque iam video pertinacem in studio Chronologico, nec minus in isto argumento Gemmæ Augusteæ perseverare: quam ego spem abieceram, ominatus de lentore Gevartij nostri in edendo MANLIO *suo, ob forenses occupationes, ne & tua foret perinde pandicularis molitio; resumo seriam ac confidentem fiduciam, non frustra me impensurum horas aliquot bonas optimo isti tuo desiderio. Resumo inquam in manus chartas, & ad te perscripta partim, partim perscribenda adhuc adversaria. Quæ omnia saltem intra hunc mensem, dico ante Maij huius finem, habebis spondeo abs*

Semper atque æternum tuo

G. Wendelino.

Tornaco Kal. Maijs. M.DC.LIV.

ALIA

ALIA EPISTOLA AD EVMDEM.

AMpliſſime Vir, Toties abs te interpellatus per annos 1651. 1652. & 1654. hoc eſt, toties tibi debendi reus ut præſtem promiſſa ſuper Capricorno, Auguſti horoſcopo, non video dilationem cauſariam poſt abdicatum munus iſtud Offucialatus, dicam an Officialatus. ſemper quidem & apud omnes grave, ſed in ſene iam fere decrepito non ferendum. Itaque liberatus tandem ablutuſque atque abſolutus ſordibus tricoſarum cognitionum, tempus habes (dices) explicandæ libertatis qua iam annum totum perfrueris. Fateor equidem, ut dudum factum oportuit quod utcumque potuit: niſi quia potuiße non fuit ſatis, ſi non etiam aliud officeret

Ἴσχει γὰρ χαλεπῆς πείρατ' ἀμηχανίης.

Primum, quod poſtliminio quinquennij reſtitutus patrio Parnaßo dum ad illum contendo, vatium me ſenſi ac compernem, ut ad formandũ novum inceßum opus mihi fuerit ſerperaſtris; ad reſumenda inquam mea ſtudia priſtina, de integro me oportuerit fieri alphabetarium, ac velut repueraſcendum, quique

Cantando longos memini me condere ſoles,
Nunc oblita mihi tot carmina —*cogar agnoſcere.*

Alterum acceſſit infortunium: quo per lubricum gelicidij lapſus afflictuſque gravi caſu tertium iam menſem lectum ſervo; ac vix nunc me attollo ad tentandum claudicantem greßum. Vix manus calamum ſumunt, obſervantiæ teſtem in te meæ.

An addo & tertiam eamque decumanam remoram? Scis opinor, ut anno 1632. natus Sabaudo principi filius ingenia virorum illic eruditorum excitaverit ad iſtius partus encomia varia: inter quos de Societate quidam theſaurus parem illi cum Auguſto quondam horoſcopum Virginem ad-

ſtruxe-

struxerit: adversus quem P. MONODVS *pro Capricorno asserendo varijs scriptis, magnisque contentionibus inter hos duos Patres decertatum est, in tantum, ut inscriptioni marmoribus incisæ scalprum minari videretur rasuram. Cui audaciæ ut obviam iretur, visum est bonum factum fore, si virorum etiam extra Italiam doctorum experiretur iudicia. Itaque Serenissimus Princeps Franciscus Thomas arbitriū istius litis in me traiecit: cui & sententiam dixi pro Capricorno, dictamque in manus consignavi præsente ipso thesauro, docuique natum Augustum cum horoscopo surgentis Virginis, natumque eumdē sidere Capricorni quintam sub terris domum fortunæ signante.*

Quamdiu ergo advixit Princeps Thomas, neque certus ego fui, quid ille super edendo meo scripto cogitaret statuendum, non debui prævortere istam mentem: nunc postquam ille in fatum suum abijt, Capricornus de integro meus est, tuus est, & cum convalescente me deproperandus, quod intra hunc mensem me perfecturum confido.

Amplißime Domine tui plenus
G. Wendelinus.

Postrid. Kal. Martias. 1656.

ALBERTI RVBENI EPISTOLA AD CL. GOTIFREDVM VVENDELINVM.

CLarissime Vir, Gaudeo te Officialatus vinculis exsolutum, postliminio Parnassum revisere, & Capricornum diu a me desideratum resumere, brevique nos eius compotes facturum. Quod etiam atque etiam ut efficias rogo. Cum Antuerpiæ nuper essem, Moreto nostro explicationem Gemmæ Cæsareæ prælo

ut

ut ſubijceret, tradidi, in qua cum neceſſe eſſet de Capricorno Auguſtæo, qui illic expreſſus eſt, aliquid dicere, affirmavit te propediem publico daturum veram hac de re ſententiam, & contra Scaligeri, Kepleri, Petiti & aliorum hallucinationes probaturum, Auguſtum natum eſſe 23. Septembris Iuliani, & in themate Auguſti ſortem Fortunæ Capricornum obtinuiſſe: quod a te olim me audiviſſe credebam. Sed nunc video te diverſam inire viam, & non alio nomine Capricornum Auguſtæo themati aſſignare, quam *quia quinctam ſub terris domum, quæ Fortunæ dicitur, occupaverit*. Sed vereor ne hæc ratio non ſatis efficax ſit, ut tantam Auguſto thematis ſui fiduciam tribuerit, niſi & ſortem Fortunæ in hanc ipſam domum Fortunæ deducis, de quo ſerio cogites velim: mihi quidem rudi Minerva hæc computanti non abhorrere a calculo meo id videtur. Etenim 23. Septemb. Iuliani anno P. Iul. 4651. hora 5. 50. poſt mediam noctem Sol adhuc hærebat in 26. aut 27. gradu ♍ diſtantia autem Solis a Luna, erat ſignorum 4. gr. 5. aut 2. ita ut Luna obtinuerit 28. aut 29. gradum Capricorni, & ſors Fortunæ fuerit in ultimis partibus Capricorni. Sed in his aſtronomicis ego in tenebris mico; nec enim ipſis artis huius principijs inſtructus ſum. Itaque taceo, teque enixe oro, ut quam primum tuam hac de re ſententiam perſcribas, quo illa, quæ Moreto edenda commiſeram, ad tuam mentem corrigam. Vale decus meum, & me ama.

Bruxellæ XX. *Martij anni* CIↃ.IↃC.LVI.

Devotiſſimum tibi
A. Rubens.

IOAN-

IOANNIS BAPTISTÆ DONII DISSERTATIO DE VTRAQVE PÆNVLA.

IOANNIS BAPTISTÆ DONII DISSERTATIO DE VTRAQVE PÆNVLA,

Romæ habita in Academia Basiliana Idibus Septembris 1658.

ANTEQVAM de habitu, quo Sacerdotes nostri in re diuina facienda utuntur, summatim disserere incipio, deprecor a vobis, Eminentissimi Patres, doctissimique Academici, ne me vel confidentiorem, vel Ordinis vestri, atque huius loci parum reuerentem existimetis; quod immaturam adhuc ac tumultuariam inscriptionem hodie vobis obtrudam; minime alioqui novitius tiro, sed qui emeritæ militiæ potius (si per vos liceat) adscribi cupiat. Non prætexam qualicumque huic facto (quamquam verissime id facere possum) desuetudinem studiorum, non occupationes multiplices ac varias, non gravissimas animi curas; sed simpliciter quod res est, atque ingenue fatebor: Cum dies academicus instaret, ac nemini, quantum scire potui, indictæ essent disserendi vices: ne nonnulla mea culpa vacuus hic dies abiret, succedaneam operam huic muneri impendere aggressus sum: eo sane fidentius, quo vestra mihi humanitas perspectior erat: quoque magis ex aulicæ vitæ

usu intellexi, viris principibus, ac sapientibus, non tam seram morosamque diligentiam, quam promptitudinem obsequij in rebus gerendis plerumque placere. Quod potui, operam dedi, vt argumentum seligerem, instituto huius loci maxime, ni fallor, consentaneum. Cum enim in hoc ornatissimo Cœtu, sacræ eruditionis studia præcipue pertractentur, profana vero, quatenus dignioribus illis inserviunt; ita sane congruenter de eo habitus genere edisseram, quod profanis usibus ab initio destinatum, rei divinæ peragendæ tandem cessit. Deinde sicut Græcanicæ Ecclesiæ instituta illustrari hic maxime solent: non tamen sine comparatione Latinorum; ut una eademque Christi sponsa, quamquam substantia & corpore indiuisa, attamen diversitate rituum quasi, vestimentorum ornatu multifariam conspicienda, &, ut divinæ Litteræ loquuntur, *circumamicta varietatibus*, contemplantium oculis cultiorem se exhibeat; ita certe non incongrue de Pænula differetur, quæ, ut & vocabulum ipsum, primum a Græcis inventa, deinde ad Romanos traducta; postremo hic atque illic in usum sacrorum venerabilis mansit: & quamvis utrobique non eamdem prorsus speciem retinuerit, nihilo minus una eademque, cum origine, tum usu censeri debet. Quam quidem tractationem eo lubentius suscepi, quo clarius ac testatius prisci huius vestimenti speciem indicare atque ostendere vobis posse videor. Nam cum superioribus annis quædam obiter annotarem in eam partem Pandectarum mearum, quæ ad rem vestiariam pertinet, destinaremque, si per otium & fortunæ meæ tenuitatem licuisset, ex veteribus statuis, alijsque monumentis, farraginem aliquam iconismorum seu picturarum colligere, quæ comparatæ cum testimonijs veterum scripto-

ſcriptorum multifariam conquiſitis, inſignem huic negotio lucem afferre poſſe videbantur; evenit, ut in ſtatuam quamdam inciderem, quam proculdubio pænulatam eſſe primo aſpectu cognovi; quales hodie haud ſane multæ reperiuntur: quam cum diligentius contemplarer, omnia ei plane congruere deprehendi, quæ de iſtiuſmodi habitus genere veteres prodiderunt: ac tum demum intellexi, cur iſtud nomen ſortitus ſit ſacrificalis cum Græcorum, tum Latinorum habitus, qui iam inde a primis Eccleſiæ temporibus uſurpari cœpit. Imago eſt, quantum coniectura mea fert, oratoris cuiuſdam: quod protenſa paululum æqualiter brachia ſuboſtendunt. Habitus vero eiuſmodi eſt, ut plane totum hominem, excepto capite atque infimis cruribus, circumdet. Nulla vero in eo lacinia, nulli ſinus, atque umbones, ut in toga; ſed plane ſimplex, atque unico circumiectu hominẽ ambiens. Media vero ſui parte dumtaxat patere cognoſcitur, qua caput exerebatur, alioqui rotunda & clauſa; & qualem togam fuiſſe veterum nonnulli exiſtimant: ſed quantum ex ſtatuis cognoſci poteſt, parum certe δυσόχως. Etſi vero minus ſinuoſa, minorique amplitudine panni quam toga fuit; non tamen ei deerat ſuus decor & gravitas; quam plicæ ſeu rugæ veſtimentis potiſſimum inſinuant. Verumtamen quantum maieſtate a toga ſuperabatur, tantum illam commoditate vincebat; adeo ut, ſi opus eſſet, nullo negotio ab artifice quopiam veſtiario, ope illius ſtatuæ reſtitui poſſet: quod in tanta ſtatuarum togatarum copia vix ei fortaſſe ſuccederet, in vera togæ ſpecie reſtituenda, quantumvis perito atque ingenioſo. De origine vocabuli convenit inter Grammaticos φαινόλην ſive φαινόλαν Dorica terminatione vocitatam fuiſſe: quod tota conſpiciatur ὅτι ὅλη φαίνεται,

non quod corporis figuram ostenderet (nihil enim minus huic vestimento convenit) & quod ὅλον τὸ σῶμα φαίνῃ, ut falsò credidit Casaubonus, & ex eo Bullengerus, qui astrictam fuisse vestem putarunt; & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram exprimeret; decepti opinor ex prava illius veriloquij seu etymologiæ acceptione, cui activum significatum, non passivum, ut opus erat, tribuebant: tum etiam ex eo quod Artemidorus Oneirocriticus inter vestes quæ θλῖψιν ac στενοχωρίαν in somnijs significabant, hoc est *angustias ac pressuras* pænulam quoque (τὸν φαινόλην) recenset; διὰ τὸ, inquit, ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα, *quod undique corpus ambiat*, non quod membra pressim constringat, ut illi opinati sunt. Hinc apertior est Ciceronis locus oratione pro Milone, qui ut probaret nequaquã insidiandi animo, occidendique Clodium, ab Vrbe eum profectum fuisse, *Quid minus*, inquit, *promptum ad pugnam? cum pænula irretitus, rheda impeditus, uxore pæne constrictus esset?* quod cum dixit, in animo, opinor, habuit, Retiariorum sinuatum illud rete, quo adversarios suos secutores (Gladiatorum ea genera fuerunt) repente constrictos fuscina demum convulnerabant. Huius vestis primi inventores Lacedæmonij produntur, vel Tertulliani gravissimi scriptoris testimonio: qui in Apologetico sic scribit: *Nam ne vel hieme voluptas impudica cessaret, primi Lacedemonij pænulam ludis excogitarunt*. Verum apud Romanos, ut opinor, usitatior fuit, qui aspirata littera in suam tenuem detorta (qua forma Pœnos à Phœnicibus demutarunt) pro φαινόλας, *pænulam* vel *pænolam* vocitarunt. Erat autẽ habitus hibernus ac viatorius, & ad propulsandos imbres, ceterasq; asperioris cæli iniurias peridoneus: ideoque in spectaculis potissimũ (hiberno videlicet tempore) usurpabatur. Hinc

M. Tul-

M. Tullius Mulionicam pænulam commemorat. Idē l. 13. ad Atticum; *Sed ego ita egi ut non ſcinderem pænulam.* Iuvenalis Sat. v. *—fremeret ſæva cum grandine vernus*

Jupiter, & multo ſtillaret pænula nimbo.

Seneca vero ſcorteæ pænulæ meminit; de qua accipiendus Martialis:

Ingrediare viam cælo licet uſque ſereno,

Ad ſubitas nuſquam ſcortea deſit aquas.

Fiebant autem pænulæ ex craſſiori lana, non ex tenuiori prolixiorique, ut togæ. Hinc Plinius, *Appulæ lanæ*, inquit, *breves villo; nec niſi pænulis utiles: circa Tarentum Canuſiumque ſummam nobilitatem habent.* Nihilominus quædam pænulæ prolixis villis fiebant, quæ *Gauſapinæ* proprie dicebantur: de quibus Martialis:

Is mihi candor ineſt villorum gratia tanta,

Vt me vel media ſumere meſſe velis.

Ad ſummam, veſtis fuit ponderoſior; quæque commoditate magis quam elegantia commendaretur: quamobrem Tertullianus libro de Corona militis, *Ibidem*, inquit, *graviſſimas pænulas poſuit, revelari auſpicatus.* Quod ad uſum pertinet; Vlpianus in cap. *Sive lege*, ut dicunt, 23. Digeſtor, tit. de auro, argento mundo, legatis, inter communia veſtimenta, quibus promiſcue vir & mulier ſine reprehenſione uti poterant, pænulas ſive pænularum quaſdam ſpecies connumerat. *Communia ſunt*, inquit, *quibus promiſcue utitur mulier cum viro: veluti pænula palliumve eſt, & reliqua huiuſmodi; quibus ſine reprehenſione vel vir vel uxor utatur.* Quamvis autem ſtante Republica, ac ſub primis Cæſaribus, forenſis habitus pænula non fuerit; poſtea tamen res mutavit; ſub Domitiano enim iam pænula invaluerat, toga paulatim obſoleſcente: quod ſane

gravioribus viris, & novitatum osoribus, displicuisse cognoscimus. Quintilianus, sive quis alius auctor est eruditissimi dialogi, De causis corruptæ eloquentiæ: *Quantum humilitatis*, inquit, *putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas; quibus astricti, & velut inclusi, cum iudicibus fabulamur?* Ideoque Castritius Rhetor magni nominis, qui Hadriano imperante floruit, quosdam discipulos Senatorij Ordinis, teste Aulo Gellio, acriter reprehendit, quod lacernati, non pænulati, prodirent in publicum: *Equidem maluissem*, inquit, *vos togatos esse. Pigitum est cinctos saltem esse & pænulatos:* quoniam videlicet quanto pænula quam lacerna dignior erat, tantum togæ dignatione cedebat. Quòd autem doctissimus vir hinc colligit, pænulas præcipue serviles cingi consuevisse, minime assentiri ei possum: nihil enim impeditius foret, aut brachiorum usibus, quibus servorum ministeria potissimum constant, minus aptum. Crediderim potius Castritium non modo lasciviam usurpantium lacernam pro pænula vel toga reprehendisse; sed etiam mollitiem tunicam discinctam sub lacerna gestantium. Nam quod ex Petronio affert in suam sententiam: *Vltimo Cinædus supervenit myrtæa subornatus gausapina, cinguloque succinctus*; nihil vetat tunicam quoque mollibus ac prolixis villis confectam gausapinam vocatam fuisse, non minus quam pænulam, quamvis gausapina tunica alibi non memoretur. Ceterum quod supra ostendimus, iam inde a Flavianis temporibus cœpisse pænulas in promiscuo usu esse, labefactari videtur duobus auctorum veterum locis, qui inferioribus etiam sæculis togæ suum honorem atque usum mansisse testantur. Alter est Lampridius, qui de Imperatore Commodo sic scribit: *Et contra consuetudinem pænulatos iussit spectatores, non togatos*

ad

ad munus convenire: quod funeribus solebat. Vbi Casaubonus pro *Spectatores* legit *senatores*, coniectura ex Dione sumpta. Alter locus est Spartiani in Alexandro Severo, qui ait: *Pænulis intra urbem frigoris causa ut senes uterentur permisit; cum id vestimenti genus semper itinerarium fuisset, aut pluviæ.* Quo loci Spartianum Lipsius reprehendit, si modo ita scripserit; suspicatur enim ibi quoque legendum *Senatores.* Quod si recipimus, est cur gratiam pænulæ Senatores habeant, cuius beneficio excuriati quodammodo prius librariorum incuria, per duos istos rei litterariæ antistites, tamquam censoria virgula in ordinem pristinum restituuntur. Quod autem stante Imperio præcipua semper in veneratione toga fuerit, idem Spartianus in Hadriano testatur, dum pænulas numquam gestasse Imperatores prodit: *Nam illi,* inquit. *adhuc privato, cum tribunus esset, factum omen Imperij, & perpetuæ tribunitiæ potestatis, ex eo quod pænulas amisisset, quas tribuni plebis pluviæ tempore gestabant; Imperatores vero nunquam.* Illud etiam ὁδῷ πάρεργον notaverim; sicut albus color olim in toga & tunica, saltem apud lautiores, solemnis erat, ita pullus vel niger in pænula. Quo pertinet sarcasmus ille Augusti Cæsaris populo Romano succensentis: qui (ut Suetonius refert) *visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, En,* ait, *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* Et certe colores ij nativi, sicut ad luxum ac lautitiam minus apti, ita ad pluviam & lutum arcendum opportuniores. Erat igitur pænula proprie habitus viatorius, quam idcirco Galba orator apud Quintilianum per iocum se dixit domi gestare. Nam cum eius cœnaculum (id est altior domus pars iuxta tectum, quam Galli granarium vocant) perplueret, amico pænulam pe-

tenti *Non poßum*, inquit, *commodare: domi maneo*. Illud etiam per occaſionem huius vocabuli circa Gallorum veterem veſtitum obſervaſſe videor, pænulam apud eos fuiſſe frequentem. Coniecturam huius rei duco ex multis veterum cipporum iconiſmis, quamvis minus belle delineatis atque excuſis, quos initio ſuæ hiſtoriæ Metenſis Eccleſiæ Meuriſſius Epiſcopus Madaurenſis appoſuit. Multæ enim in ijs figuræ conſpiciuntur pænula indutæ: quarum nonnullæ etiam capitium adiunctum habent: cuius mentionem fieri video apud Plinium, ubi pænularum capita (pro capitijs accipio) centunculo (herbæ id genus eſt) comparat: qua nota haud difficulter eorum formam agnoſcere poſſumus: ſiquidem naturæ partus cum ſemper ſui ſimiles ſint, certo ſatis iudicio demonſtrare poſſunt inventa hominum, quæ magnam tractu temporis ſuſcipere ſolent varietatem. Ceterum quod Grammatici nonnulli, & gloſſæ quædam veteres tradunt, pænulæ fimbrias (hoc eſt villoſa quædam ornamenta in oræ ambitu) adfuiſſe, quoniam perpetuum non fuiſſe videtur (certe ea quam dixi ſtatua non habet) obiter tantum dictum eſto.

Verum, ut ad ſacram ſpeciem tandem deveniam (cuius gratia inſtitutus eſt hic ſermo) quo tempore in Miſſæ ſacrificio adhiberi apud noſtros pænula cœperit, in tanta rerum vetuſtarum caligine haud proclive dictu eſt. Illud conſtat, eius uſum antiquiſſimum eſſe, & a primis prope naſcentis Eccleſiæ temporibus inceptum. Cur autem hoc potiſſimum veſtimenti genere in ſacroſanctis myſterijs uſi ſint veteres illi Chriſtiani, quamquã arduum eſt aſſequi, quædam tamen πιθανὰς ſaltem afferri poſſe videntur. Primum enim ſuſpicari licet, pænulam ijs maxi-

maxime placuisse, ut quam longissime a gentium ritibus abessent, quæ superstitiosis suis ceremonijs numquam eam adhibuisse videntur. Secundo, quod cum inter frequentes tyrannorum persecutiones propria & peculiaria rei divinæ vestium genera excogitari non facile potuerint, eam præ ceteris eligere voluerint, quæ tunc temporis inter civiles quidem, sed ordinarios habitus (ut excludam Imperatorios, & Magistratuum) & honestior & usitatior esset. Par enim fuit in re omnium gravissima & sanctissima, non vulgari plebeioq; amictu, sed honesto ac decoro uti: quod cum in privata saltem oratione minus necessarium sit, minime reprehensi a Tertulliano forent, qui priusquam orarent, pænulam deponebant, si non tamquam superfluum pondus eam exuissent, sed (quod is potius iudicabat) ut gentiles imitarentur. Tertio suspicari possumus, habitum viatorium prælatum fuisse cæteris; ut ostenderent sacrosanctum hoc sacrificium a viatoribus fieri, & cælestis patriæ extorribus: ad quam illius maxime viatici ope corroborati pervenire tandem speramus. Quamobrem poëtica quadam & philologica licentia vir ætatis nostræ doctissimus, sacrificium Propterviam indigitare illud ausus est. Fiebat autem a priscis Romanis sacrificium, quod *propter viam*, seu *propterviam* unica voce dicebant, Herculi (ut opinor) Viali. *Propter viam* (inquit Festus Pompeius) fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco: qui scilicet idem est Deus: in quo quidquid profanabatur, consumi necesse erat. Sed ne diutius ἐκ τῆς τῶν ἐλαιῶν, ut Græci aiunt, exspatier, sicut singula vestimenta quæ rei divinæ adhibentur, significare creduntur unum ex iis quæ Iesus Christus Dominus noster in passionis suæ actu gestavit (quamquam eiusmodi myste-

ria poſterius fere excogitari ſoleant, quam ea quæ ijs denotantur inventa fuerint) ita ſciendum eſt, ſacram pænulam indicare nobis veſtimentum illud purpureum, quo Chriſtum Dominum ludibrij gratia impij milites cum corona ſpinea inſigniverant. Germanus Patriarcha in libro Theoriæ Eccleſiæ: Τὸ δὲ, inquit, φελόνιον ἐμφαίνει τὴν ἀπὸ κοκκίνου πορφυρᾶν ἣν περὶ τοῦ Ιησοῦ οἱ ἀσεβεῖς ἐμπαίζοντες ἐφόρησαν. *Pænula autem oſtendit veſtem purpuream ſeu coccineam, quam impij homines illudentes Ieſu obtulerunt.* Quæ ſimilitudo non perinde ad formam pertinet; longe enim diverſa fuit a pænula chlamys (qua proprie, ut D. Matthæus tradidit, Chriſtum Dominum induerunt) quam ad colorem: purpura ſiquidem, ſeu quovis alio rubro colore ſacra pænula plerũque olim tingi conſueviſſe videtur. In Eccleſia certe Conſtātinopolitana toto ieiunio Quadrageſimæ, exceptis his diebus, Nuntiationis, Palmarum, & magni Sabbati, presbyteros & diaconos purpureas, ſive rubras pænulas, & tunicas (στιχάρια Græci vocant) geſtare conſueviſſe, Codinus ſcribit. Porro celebris valde quæſtio illa eſt, qualis pænula accipienda ſit, cuius D. Paulus epiſtola 2. ad Timotheũ meminit his verbis: Τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. *Pænulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.* D. Ambroſius & ex eo Haimo & Anſelmus accipiunt pro veſte ſenatoria, quam Paulo pater reliquerit. Et ſane proditū eſt D. Pauli patrem, qui Giſcali Palæſtinæ oppido oriundus Tarſum migraverat, civitatem Romanam adeptum fuiſſe: ſed ut Senatorij Ordinis fuerit, nuſquam legitur, nedum ut Conſularis: quod Haimo inſcitia ſuorum temporum ductus, dicere non dubitavit: itemque Conſules induere pænulam ſoli-

ſolitos, dum curiam ingrederentur. Alij quibus fauere creditur Tertullianus loco ſupra laudato, qui eſt libri *de Oratione*, exiſtimant veſtem ſacram fuiſſe. Verum ſi pro veſtis ſacræ ſpecie accipiant, quæ in ſacris vſurparetur; ſed etiam profanis uſibus inſerviret, facile credi poteſt, Apoſtolos pænulam in Miſſarum ſolemnijs uſurpaſſe: quod ſi intelligunt veſtimenti genus rei divinæ proprium, & ab alijs diverſum, primum haud credibile eſt, in ijs anguſtijs ac preſſuris vacaſſe primis Chriſtianis, peculiarem habitum ad rem divinam excogitare: deinde cum antiquior ſacerdotum pænula ad amuſſim fere congruat cum ea quam gentilium ætate in foro uſurpabant, iam clarum manet, ſacram veſtem eo modo accipi non poſſe. Quod autem Tertullianum in teſtimonium advocant, ipſo ſane id faciunt invito; is enim locus oſtendit veſtem potius fuiſſe profanam: ſiquidem eam, oraturi vel precaturi Deum, deponere ſolebant. Tertio putarunt nonnulli, in quibus eminentiſſimus Baronius, pænulam accipiendam eſſe pro legis volumine, eo quod Syrus interpres verterit *Bet Ketabe*, id eſt thecam librorum; cui Heſychius aſtipulari videtur; qui φαιλόνης interpretatur, εἰλητάριον μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον. Verum hæc ſententia, ut parum probabilis, ab omnibus fere reijcitur. Quarto demum Ioannes Chryſoſtomus, Theophylactus, Hieronymus Dial. 3. contra Pelagianos, intellexerunt vulgarem & communem eam pænulam, quam adverſus pluviam & frigus olim geſtabant. Quæ ſententia proculdubio reliquis præferenda eſt: eoque ſane probabilior videtur, quo magis apparet, Paulum pænulam reliquiſſe tamquam onus per id anni tempus ſupervacaneum; quod confirmatur ex eo quod ſub finem epiſtolæ ſcribit: *Feſtina ante hiemem venire*. Quod pertinet

autem ad vocabulum, ſciendum eſt, ſacrū hoc indumentum a vetuſtioribus Græcis (de Chriſtianis loquor) φαιλόνιον ſeu φελόνιον dici, a poſterioribus φελόνιν, corruptius; quam vocem, etſi liquido apparet per tranſpoſitionem litterarum φαιλόνιον pro φαινόλιον ortam eſſe; doctiſſimus Salmaſius tamen contra aliorum opinionem cenſet ab antiquiore voce φελλόνης, quæ Cretenſibus (teſte Heſychio) tunicam ſignificabat, deduci. Quidquid ſit, miror ſane in pleriſque novi Teſtamenti Græcis editionibus corruptum vocabulum φαιλόνιον pro φαινόλιον legi; cum minime credibile ſit, iam tum divi Pauli ætate ſinceram eius pronuntiationem deſijſſe. Ceterum apud Scriptores Eccleſiaſticos Eccleſiæ Latinæ (omnes videlicet ſemiantiquos) minus uſurpatum pænulæ vocabulum comperio; ſed partim caſulam, partim planetam vocitari. Prius apud Hiſpanos manſit, quibus *caſulla* eſt, imo apud Gallos, qui *chaſuble* corruptius vocant; poſterius apud noſtrates. Caſulam porro Rabanus Maurus dictam vult, quod ſicut caſa quædam, alia omnia tegit ac complectitur. Planetam dici volunt, quod circum errans, totum corpus ambiat quaſi παρὰ τὸ πλανᾶσθαι. Sed cum apud Latinos natum ſit hoc vocabulum, eoque tempore, quo Græcæ linguæ non erat adeo frequens uſus, crediderim potius eius radices in Latio quærendas: quoniam ſic appellata fuerit, quod plana eſſet: hoc eſt nullis vel paucis plicis corrugata, ad diſcrimen fortaſſe pænulæ veteris, quæ rugoſior fuit. Ceterum proavorum ætate, eiuſdem fere formæ apud noſtrates fuit ſacrum hoc veſtimentum, quam apud Græcos hodieque conſpicimus: rotundum videlicet, æquatoque in ambitum gyro; non autem in duas ſemirotundas plagas, anteriorem ac poſteriorem diviſum; quam in ſpeciem paulatim degeneravit, dum ſacrifi-

crificaturi, onus illud brachiorum pertæſi, & commoditati magis quam decori ſtudentes, ſenſim ab utroque latere eam reſecant, donec cubito tenus pertingeret. Olim vero neceſſe fuit circa medium cubitum, ne brachia impedirentur, vel ut caſus tulerat, corrugari, vel certe ordine quodam plurifariam replicari. Et quidem, ut Auctor ſemiantiquus oſtendit in Opere, quod *Gemma animæ* inſcribitur, in utroque brachio triplicabatur: quod cum fit, interior facies tegitur, exterior apparet: circa pectus & inter humeros duplicabatur; ita ut interior facies circa collum detegeretur. Quæ notitia ſatis liquido oſtendit, qua ratione hic habitus ſacrificanti aptaretur, quamdiu primævam ſpeciem retinuit. Alia etiam differentia eſt inter utramque pænulam, Græcam videlicet & Latinam, quod in illa ab antiqua conſuetudine complures crebræque cruces depingi conſueuerint; in noſtra vero unica tantum, eaque ampliori forma, ex latiori faſcia à ſummo ad imum pertingens, quam alia tranſverſim ſecat. Hanc Itali anteriori plagæ aſſuunt, Galli vero poſteriori: nec deeſt utrique conſuetudini ſua ratio & probabilis cauſa. Porro Conſtantinus Cabaſilas in quæſtionibus Eccleſiaſticis docet, eiuſmodi crucium picturam ἐν τῷ φελονίῳ ſolemnem & ordinariam eſſe, ſicut in ſtichario fluminum: quibus fortaſſe denotari voluerunt eos fluvios qui e terreſtri paradiſo effluebant. Eiuſmodi pænulas crucibus inſignes Balſamo de Privilegijs Patriarcharum τὰ διὰ πολυςαυρίων φαιλόνια appellat. Animadverſione etiam digna eſt ea pænulæ ſpecies, quæ capitium adiectum habet, in tabula 3. cœmeterij Pontiani apud Boſium in Roma ſubterranea, ubi B. Vincentij imago eam geſtantis conſpicitur. Poſtremo hoc addam, ſicut pænulam primario ſignificaſſe oſten-

ostendi vestimenti genus profanum; ita certe casulæ & planetæ vocabulum, secundario denotasse videri habitum non sacrum, sed profanum, quod antiquæ pænulæ (nisi idem plane erant) similis foret. Colligo id ex Concilio Ratisbonensi, quod sub Carlomanno coactum fuit; in quo statutum est, ut presbyteri vel diaconi non sagis, laicorum more, sed casulis uterentur, ritu servorum Dei. Item ex Vita Gregorij Magni apud Ioannem Diaconum, ubi scriptum est, D. Gregorij patrem indumentum hoc gestasse, planetam castanei coloris, & sub ea dalmaticam: neque enim, quod sciam, usquam proditum legitur, Gordianum (sic enim appellabatur) ullo tempore sacræ militiæ fuisse adscriptum. Atque hæc sunt quæ in præsentia circa pænulam utramque sacram & profanam, circumcisis pluribus, annotanda censui, reliquis in commodiorem locum sepositis. Metui enim profecto, ne plurifariam tædio vos afficerem, dum hibernam hanc vestem, per æstivos hosce calores non tam auribus quam humeris vestris diutius ingererem; præsertim tam crasso villo contextam, nisi eam, quantum fieri licuit, circumciderem; imitatus eos, quorum brachijs antiqua illa ponderosior visa est.

F I N I S.

ofanum ;
dazo demo
um., quod
s foret. Co
Carlomann
teri vel du
rentur,
pud Ioannes
atrem inte
s, & sub
prodituo
ullo temp
sunt qua
& protan
liquis m
otecto,
m hanc
is quan
am cui
it, cum
a illa p